

**www.e-rara.ch**

## **Carminum puerilium et juvenilium libri IV**

**Placcius, Vincent**

**Amstelodami, 1668**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-59486>

[Liber II.]

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)



CREPUNDIA

GARMINUM

PUELLUM

JUVENILEM

LIBER II

VINCENTII PLACII  
HAMBURGENSES



*Nobilissimo, Excellentissimo &  
Experientissimo*

**D. JOHANNI GARMERS.**

Ph. & Med. D. Inclytæ Civitatis  
Hamburgensis Physico Ordi-  
nario, & Polyhiatro  
felicissimo,

Avunculo meo observantia per-  
petua colendo.

S. P. D.

**R**arum fortassis memor vel Tuorum  
in me meritorum, quæ longè ma-  
xima agnosco, vel meæ in Te  
observantiæ, quam perpetuam pro-  
fiteor, alicui videri possem, Excel-  
lentissime Domine Avuncule, qui vilissimam  
Carminum meorum partem, prima videlicet ar-  
tis inexcultæ rudimenta, imo levissimas ætatis  
ineptias, & fastidiosos adultioribus pueritiæ lusus,  
ac verbo dicam, crepundia Tibi offeram: cui ac-  
curatissimum quodque & maxime honorificum

monumentum merito debebam, verum enim vero  
 quemadmodum specimina hæcæ mea leviora non  
 diffiteor, quam quæ gravissimis tuis curis atque  
 occupationibus interponi mereantur, neque summa  
 Tibi quæque à me deberi ullus inficior: ita si  
 quam hæc toto sui genere contemptibilia, compa-  
 rationem tamen æstimationis suæ invicem admit-  
 tunt, non videor mihi male adeo honori vel  
 Tuo, vel meo, adspernando præ cæteris munuscu-  
 lo consuluisse. Neque enim alia ad Te nunc dese-  
 ro, quam quæ Dii omnes & sacri ipsorum An-  
 tistites omni ævo tamquam honorissima & præci-  
 pua sibi expetiverunt. Primitias dico, ac dedico,  
 quales sterilis ingenioli mei fundus tulit. Acerbas  
 fortassis, ac inspidas: primas tamen &, ni  
 fallor, satis præcoces. Et vero uti solet, ita de-  
 bet hoc fructuum genus non tam maturitate sua,  
 quam novitate, & spe securitæ perfectioris  
 abundantie commendari. Vides, Excellentissime  
 Domine Avuncule, quam honorabili titulo hæc  
 à me dimitti possent, si alii quam Tibi destina-  
 rentur, ad quem nullo magis quam crepundio-  
 rum nomine pertinebant. Siquidem non solent ea  
 lubentius alibi quam in parentum, cognatorum-  
 que sinum pueri ludentes deponere. Hæc vero eo  
 etiam magis ad Te spectare videbantur, quod  
 pleraque illorum domestico olim Tue, non vulga-  
 ris in omni studiorum genere diligentia (cujus  
 etiam publica aliquot egregia documenta, magno  
 eruditorum applausu excepta dedisti) exemplo  
 incitatus composueram. Ut adeo vel hoc nomine  
 non ingrata tibi esse debeant, quorum causam  
 ipse

ipse olim potissimam subministraſti. Neque tamen  
 hæc eo nunc dico, ut quæ puerum me quondam,  
 quemadmodum ſolent ludicra, quando ſeria non-  
 dum capimus intimè oblectarunt, eadem Tibi  
 jam quoque ſerio collaudes atque approbes per-  
 ſuadeam. Non ſane tantum adultiores puerili-  
 bus nugamentis debere puto. Quos ſi non nimis  
 importune obrepentes inurbana moroſitate non re-  
 pellant, ſi feſtive abblandientes incivili faſtu non  
 deterreant, ſi denique modeſte jocantes tetricâ  
 ſeveritate non increpent; ſed tædioſam nugaci-  
 tatem ſtrenuè diſſimulent, ad nihil ultra teneri  
 putaverim. Quod ſi præterea amplexu etiam &  
 riſu molliore accurrentes excipiant, & emendi-  
 cato licet applauſu, exſerentis ſe in minimis in-  
 genii vigilacis primordia collaudent, ac ad majo-  
 ra excitent: nihil eos plane facilitatis ac indul-  
 gentiæ reliquum feciſſe crediderim: niſi forte  
 ad inclyti illius Ageſilai non inimitabile exem-  
 plum colluſores ſe etiam præbere parvulis non  
 dedignentur. Sed vereor jam, ne τὸ ὀπίσθον,  
 quod ætatis imprudentiâ nuſquam fere in tota  
 hæc ſcriptione noſtra ſatis obſervari potuit, etiam  
 hic conſulto neglexiſſe videar. Quare religio mihi  
 ſit Excellentiffime Domine Avuncule ullos hac  
 in parte humanitati tuæ atque comitati limites  
 præfigere. Quippe quæ jam alias tot argumentis  
 mihi perſpecta eſt ac probata, ut injurius omni-  
 no ſim, ſi de venia imo de collaudatione tuâ,  
 ullam in animo meo dubitationem reſidere pa-  
 tiar. Interim hanc conatibus noſtris benignita-  
 tem dum præſtas Excellentiffime Domine A-  
 yun-

vuncule, Tu quidem pro solita tua in me benevolentia feceris: nobis vero novam etiam demerendi hunc tuum in nos affectum diligentiam atque curam injeceris, qui quantum licuit,

Nunc Te marmoreum pro tempore fecimus: at Tu

Si foetura gregem suppleverit, aureus esto.

CRE-

CREPUNDIA,  
 CARMINUM  
 PUERILIUM  
 ET  
 JUVENILIUM  
 LIBER II.

---

PARENTATIO  
 ANNIVERSARIA

In piam & luctuosam memoriam

*Optimi, & carissimi, nec non clarissimi  
 olim Domini Parentis*

JOHANNIS PLACCII THURINGI

Philos. & Med. Doctoris, dum viveret ex-  
 cellentissimi, Inclytæque Civitatis Ham-  
 burgenfis Physici dignissimi

*è vivis à Deo placide evocati. A. D. 1656.*

*d. 7. Octobr. Julian. anno ætatis suæ 52.*

*Instituta à filio mæstissimo.*

Virgil. 5. Æneid. v. 46.

*Annus exactis completur mensibus orbis,*

*Ex quo reliquias, divinique ossa parentis*

*Condidimus terra, mæstasque sacra vimus aras.*

*Famque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,*

*Semper honoratum, sic Di voluistis, habebo.*

E P E

## E P I C E D I U M.

**F**T tandem refides nimium mens  
 excute luctus,  
 Sat lacrumis, gemituque pio, plan-  
 ctuque sonoro,  
 Delassata pii quondam fuit um-  
 bra Parentis,

Jam valeant nimium puerilia munera fletus,  
 Et muliebri nimis planctus, & inutile donum  
 Defunctis, vitaque bonis & morte probatis.  
 Inveniant hæc vana modum. Sat flevimus anno  
 Integro: nil ultra exposcent ossa parentis  
 Lurida, nec furvo lacrumis animanda sepulchro.  
 Lucibus, en, justisque suis jam mensibus almo  
 Irrequietus adest confecto Cynthius anno,  
 Jamque pios luctus nobis, questus decoros  
 Imperat, atque viris dignos agitare dolores.

Ergo nimis sancte longum servata per annum  
 Finit & tandem mea Musa silentia rumpat:  
 Præcluso referata viam dent ora dolori,  
 Qui nunc interno pulsans præcordia motu,  
 Æstuat, & vacuas sponte eluctatur in auras.  
 Musa veni, longoque recens excussa veterno  
 Triste ministerium condignaque justa Parenti  
 Redde pio, placidâque, citâ sed morte preëmpto.  
 Redde, precor, nec jam dilatos differ honores  
 Ulterius, plenas ferali carmine laudes  
 Concine, sed non vulgares, operosaque dudum,  
 Quæ multis querulas extendens nœnia chartas,  
 Cognatis lacrumasque piis cumulavit amicis,  
 Non ea tot versata aliis, exhaustaque ferme

Materies te poscit, ad altos carmina sensus  
Attolle, & reliquis intactos confer honores.

Pirrenen calidam, & fumantem vertice Pindum  
Aspice. Mortales nobis expendere curas

Non vacat: hæc alios maneant, nos poscimus  
ultra,

Æter nasque Deum Lacrimas, luctusque cie-  
mus

Sollicitos, & quæ totum querimonia Pindum  
Implevit. Juvat hic Epidaurum audire gemen-  
tem,

Luctificoque diu turbatam murmure Cirrham,  
Dictaque Commoto Phœbi convitia cœlo;

Et Superis injusta nimis violentaque damna

Exprobrata, necemque beati sæpe Parentis

Objectam stygiis magno fervore deabus.

Tum laudes immortales, festosque Triumphos

Anguigero, Phœboque aliisque auctoribus alta

E Superum turba decretos ordine longo

Enumerare lubet, duri solatia fati

Quæ maneant, decorentque Patrem tellure re-  
postum,

Nestræ olim Pietatis, & arcti pignus amoris.

Forte, Pater, superis dudum cessavimus oris

Dixerat ex Phœbo Nymphaque Coronide  
natus,

Sat cœlo Superisque datum est. Tandem æthe-  
re misso

Neglectas mecum placeat tibi visere terras:

An nondum veteres aras, desertaque templa

Cultoresque pios iterum vidisse juvabit?

Sic ait. Arridens Phœbus, gratissima, Nate,

Dicta

Dicta refers, inquit : dudum mihi fordet O-  
lympus,

Et sedes remeem Domino-regnata potenti :  
Sæpe recordatus Mycone Gyaroque revinctam  
Ortygiam , Tenedonque fui, Paternaque regna  
Nunc etiam memini. Jam munera , vota , pre-  
cesque

Compensare lubet , miserisque audire querelas,  
Hæc fatus viridi præcingit tempora lauro  
Atque humeris Tyrio saturatam murice pallam  
Injicit, auratus quam circuit undique limbus ,  
Cumque sonatura sumit testudine plectrum ,  
Cæsariemque ornat dignum , peplumque rela-  
psum

Allevat , è solidoque aptatur calceus auro.  
Sic exornatus celfo descendit Olympo  
Cum nato: Divæ quem pone sequantur euntem  
Perpetuæ comites : præcedunt, Vita , Salusque  
Lampada portantes : legit his vestigia Jason  
Atque Hygiæa soror , volitantque per aëra  
juncti.

Sic iter ingressi studio crescente per auras,  
Præcipitant , donec tangentibus ima volatu ,  
Conspicitur tandem demisso lumine tellus.  
Jamque fatigatis Epidauria terra patebat,  
Quæque olim summo Medicorum principe  
Coa

Floruit, & multis produxit stamina vitæ,  
Et desperatos primis dedit addere soles.  
Heic simul unanimi figunt vestigia gressu  
Et veteres aras , neglectaque templa salutant.

Vix fuerant tacti postes : cum limine primo

Vox

Vox ingrata sonans, fractusque ululatus ad  
aures

Protinus accedit, gemitus fletusque redundat,  
Turbantes hinc inde fatigant pectora questus,  
Et mœstos geminat planctus miserabilis Echo.  
Nondum hæc sufficiunt: flammæ moriuntur  
in aris

Extinctæ, & tetro squalent altaria fumo.  
Munera donatæ pallefcunt ferta salutis,  
Æraque sanguinæ fœdant suspensa lituræ.  
Quæ dum miratur tristis Phœbæius Heros,  
Ecce novum monstrum: baculo pugnare co-  
lubros

Conspicit affixos, tremulamque arefcene lau-  
rum

Et subito fronti funestam irrepere taxum  
Fraternæ simul atque suæ: quæ dum omnia  
cernit

Anguiger, his trepidans vix questibus ora re-  
solvit.

Me miserum! quæ tanta fuit mihi cura videndi  
Has sedes, dudum deserta revifere regna.

Cui placuit: quo nempe redux nova monstra  
viderem.

Sed quid monstra volunt, quoque hæc mutatio  
tendit?

Qui sunt, qui fracta non æquas voce querelas  
Ingeminant, tantoque cient plangore lacertos?  
Ergo iterum in luctu est Helicon, nova vulnera  
Pindus

Deflet, & irrorant lacrumatæ Phocida limphæ?  
Porrigiturque ad nos dolor, atque Epidaurus eo-  
dem

Ful-

Fulmine percutitur, similique tremiscit ab ictu?

Quis, precor, ô Divi, quis tantus, dicite, luctus?

Cur deplorata foedantur tempora taxo

Chare pater, cur pleetra cadunt, ebur unde cano-  
rum

Projicis. & baculo pugnantes ecce colubros

Cur ægrè dextrâ valeo retinere labanti?

Quis vapor hoc templum & squallentes imbuit  
aras,

Grataque inodoris permutat ferta corollis?

An poenas iterum sæva mihi morte parabit,

Hyppolitus, Stygias ne iterum detrusus ad  
umbras,

Exangues manes, & corpora funta sepulcris,

Cocytumque atrum, fuscumque Acheronta  
videbo?

Plura locuturum celeri vaga Fama volatu

Impedit adveniens. Non hanc temerarius Error

Vanaque Credulitas, non Gaudia falsa sequun-  
tur,

Seditiove recens, dubiove auctore Sufurrus:

Sed miseri Luctus, consternatique Timores,

Et Fletus, dubiisque Tremor circumstrepit alis,

Et Verum, tristicique gravis Constantia vultu.

Hæ mistis secum sermonibus aëra complent.

Namque quot ingenti sunt cuique in corpore  
plumæ

Tot vigilantes oculi, linguisque sonantibus ora

Infra occulta manent, confusaque verba vo-  
lutant:

Ipsa celer reliquas prævertens ocyus omnes,

Talia subjectum declamat Fama per orbem.

Nunc

Nunc omnes lugete boni, lugete, modusque  
 Questibus & lacrumis desit, suspiria finem  
 Non habeant; Vobis spes lucis, vita salusque  
 Occidit. Hisce comes gelidas, descendit ad  
 umbras

PLACCIUS, & Medicina simul, virtusque  
 medendi

Solamen quondam præsens mortalibus ægris.  
 Hunc multi lugent, hunc Urbs Hammonia,  
 mœstis

Prosequitur lacrumis & civem plorat adem-  
 ptum.

Ergo tuo tanto rursus cultore perempto  
 Quin propera merito linquendum claudere  
 templum

Anguiger, & nullas aris promitte corollas,  
 Non tibi nunc avido tondentis pascua morfu  
 Posthac votivæ cædetur victima capræ,  
 Nec vigil auratus cristati cantibus oris  
 Qui vocat Auroram, flagrantem imbuet aras;  
 Et frustra tauros Phœbus sperabit & agnos.

Sic Dea conclamans vacuas furiosâ per auras  
 Fertur & Eoas linquens velocior oras,  
 Mox Boreæ sedes, Zephyrique Austrique per-  
 errat.

Hactenus attonitus querulam Corylæus Heros  
 Audierat Divam: hinc agitato pectore tales  
 Effundit questus. Heu quorsum immitia fata  
 Tenditis, ô nimium crudelia Numina Parcæ!  
 O miserum mortale genus, cui tempora vitæ  
 Parva adeo Natura finit: quos lege sine ulla  
 Invida Parca necat: quæ te charissime PLACCI  
 Com-

Communi nunc jure premens, tua licia rupit,  
 Rupit, ut in reliquos manibus fœvire cruentis  
 Mox queat, & nullo possit prohibente secare  
 Stamina, non paucis quæ continuare coëgit  
 Tradita me Doctore tibi Lex certa medendi.  
 At nunc ipse jaces, nulli medicabilis herbæ,  
 Laudatamque olim condemnas inscius artem.  
 Hoc fuit, Uranie, quod Pindo triste minari  
 Sidera, quod radios cœlum confundere diros  
 Dicebas; fuit hoc nostras quod protinus aras  
 Fœdarunt subitæ, flamma moriente, tenebræ,  
 Sopitosque ignes tepidis texere favillis:  
 Et modo quod tacitæ per opaca silentia noctis  
 Auditus nostra ferus est ululatus in æde,  
 Totaque continuis resonarunt templa querelis.  
 Et modo cum croceas ageret Dea lutea bigas  
 Lucis avis Phæbum solita non voce vocavit,  
 Nec sua consueto demulsit pectore plausu.  
 Ergo jaces, dilecte mihi, dilecte Parenti,  
 Aonidumque choro: certe tibi parcere fata  
 Aspera debuerant, noissent si parcere fata,  
 Pro meritis. Sed quid multum miseranda que-  
 relis

Fata onerare juvat? Defunctum cernere corpus  
 Jam ductum cupio, & miserabile ducere funus.  
 Ergo, Pater, dixit, demisso lumine Phœbum  
 Adspiciens, si cura tibi P L A C C I que meique  
 Ulla fuit, magnam placeat tibi visere mecum  
 Gambriam, P L A C C I que mei decorare se-  
 pulchrum.

Huic Genitor. Concessa tibi, curandaque nobis  
 Nate, petis. Tecum quàm late spumiger Albis  
 Ma-

Manat, & optatum sese diffundit in æquor,  
 Contendam, & sese qua turribus ardua celsis  
 Hammopolis tollens vicinas despicit urbes.  
 Heic PLACCI nostri lugentes tristia fata  
 Ad dignum mœsti comitabimur ossa sepul-  
 chrum.

Jamque iter ingrediamur, ait: seque ipse in  
 auras

Allevat, & pennis pernicibus aëra fulcat.  
 Anguiger insequitur: pariter se cœtera turba  
 Attollens crebris acuit clangoribus alas.

Jamque diu fuerant excelsa per æthera vecti,  
 Nec poterant Pelopis, nec Ceropis arva videri.  
 Astuto tellus quondam regnata Philippo,  
 Et nato, quem Pella dedit cognomine Magnum,  
 Illyricumque solum, & septemplex ora Ti-  
 mavi

Amplius haud poterant deflexo lumine cerni:  
 Jamque relictus erat limphis flaventibus Ister,  
 Ister in Abnobiis longè qui montibus ortus  
 Tendit in Exinum variis onerosior undis,  
 Olim Alemannorum populis potatus amicis  
 Et Framus dextras oneranti in prælia Suevo,  
 Qua nunc Barbaricas Turcarum perfluit Urbes.  
 Carpathiis quoque terra jugis, subjecta, feræque  
 Sarmatiæ montes, à dextra parte relictis  
 Jamdudum fuerant; extensos læva tenebat  
 Hercynios colles, ac ardua culmina celsi  
 Melibœi: pedibusque Deum subjectus ubique  
 Cœrulus Albis, en ipsè viam signaverat undis,  
 Demonstrans turres, quas Urbs Hammonia  
 celsis

Moenibus imposuit, sedes optata deorum.

Vix benè contigerant Divi, taciturna recenti  
Moenia mirantes luctu, cum flebile fanus  
Cernitur extemplo tristi procedere pompâ.

Lurida velato portantur membra feretro,  
Ad tumulum mœsti funus comitantur amici,  
Et lugent omnes induti vestibus atris,

Verrentes multam prolixo firmate terram.

Jamque aderant omnes tumbæ, stabatque fe-  
returum,

Expositumque sibi deposcens horrida corpus

Terrifico Libitina fores pandebat hiatu:

Extremo venit ecce cohors mœstissima Di-  
vûm

Officio, justas cultori reddere laudes

Prompta suo: primusque suas agnoscere Musas

Cœperat Arcitenens, collaudatisque salutem

Dixerat, & cantaturis se junxerat ipse

Cum Nato, fociisque piis. Mœstissima juxta

Jamque carens risu Charitum stat turba silen-  
tum,

Et ne defectum cultoris sanguine corpus

Aspiciat, vultum tota tegit ægide Pallas,

Humida subjectis defigens lumina terris.

Tum Pæan avidus cultori reddere laudes

Promeritas, verbisque bonis ornare sepulchrum,

Præcinit hæc, repetunt Carmen ferale Sorores.

Ergo jaces P L A C C I, fatisque abreptus  
iniquis,

Mature nimirum gelidas concedis ad Umbras.

O justos luctus, ô lamentabile fatum!

Hunc præmaturâ nimirum nunc morte perem-  
ptum

Lu-

Lugemus, queis cura manet mortalibus ægris  
Jam desperatam vitæ revocare salutem.

Hunc vestri causâ, nondum adventante se-  
necta

Vi tot curarum fractum, assiduoque labore,

Cognati, meritoque pii lugetis amici,

Et cives, cunctique bonique, bonisque faventes.

Et vos cum primis, olim quos ille faselo

Subductos stygio superis indulserat auris

Longius, & seræ dederat superesse senectæ.

Vos date promeritæ lacrimas, date carmina  
tumbæ,

Et Parcas damnate odiis, lacerate querelis.

Multorum hanc mortem immaturam credite  
vestrum,

Jamque secuturam præmissa hæc funera cla-  
dem

Vobiscum numerate omnes: stragemque fu-  
turam

In præcedentis nunc plangite funere PLACCI.

Hunc rapuit mors atra virum, ne vita noceret

Illius, & vivos servans ars certa medendi.

Scilicet ille fuit, quem si modo fata dedissent

Annos virtuti, doctrinæ junger e famam,

Non posthac, Hamburga foret cur cive Stagira

Se tibi præferret, jam tolleret æmula factum

Majorem Græco Germania nacta Platonem.

His etenim concessa sibi majora tenebat

Munera larga Deum: majores pectoris ignes

Ingenii vires, & puræ lumina mentis,

Nascenti dederat non illætabile fatum.

Facundique favens donum Cyllenius oris,

Et morum Charites, & blandimenta leporum,  
 Et suavi addiderant medicantia lumina nutu,  
 Indelassata cum sedulitate, perenne  
 Et pernox studium, pietasque intensa, fidesque  
 Tollebant altè, commendabantque remotam  
 A Vulgo, & variis subjectam casibus artem.  
 Moribus his, animoque virum, studioque va-  
 lentem,

Longius in sanctos templi Natura recessus  
 Duxerat, attentoque abscondita multa revelans  
 Tradiderat miranda, suis sine cognita causis,  
 Causis, quas solus nosset, cupidosque doceret  
 PLACCIUS, eloquio monstrans & acumine  
 docto,

Qua fluitans infusus humo meet humor aqua-  
 rum,

Cur his conjunctus succedat lucidus aër,  
 Extremi sibi jura loci subtilior ignis  
 Vindicet, & fundo tellus subsidat in imo.

Qua ratione etiam Ponto firmetur in alto  
 Insula; num terræ sit copia major an undæ.

Flumina num Nereus ima tellure receptus  
 Gignat, & hæc repetant, undosi regna parentis  
 Qui rursus ad magnam matrem cribrata re-  
 mittat:

Inclusum an potius sibi tellus aëra cogat,  
 Eque sinu superas spissatum expellat in auras.

Cur quædam fugiant amnes loca, viscera terræ  
 Et repetant potius, justo quam tramite currant,  
 Seque alibi properent desueto reddere cælo.

Cur magis hic refluxum mare sæviat, & minus  
 illic,

Anglobus hic terræ commotus misceat undas,  
 An potius densos tenues, tu Cynthia, fluctus.  
 Unde fluens aër perfundat corda rigore,  
 Mutet & in durum viventia corpora saxum.  
 Suggestat Æt'næis quid pabula larga caminis,  
 Sæpe repentino cur fulminet igne Vesevus,  
 Heclaque sulphureas eructet ad astra favillas,  
 Pestiferi radient qua cœli parte Cometæ  
 Horridaque attonito quæ portent nuncia mun-  
 do.

Quid memorem lapides scrutantem, & dura  
 metalla,

Et plantas mire genitrix queis magna superbit,  
 Aut quæ diversæ gignunt animantia terræ,  
 Aut quæ cœruleo nutrit sub gurgite Protheus,  
 Aut varie tinctis quæ pingunt aëra pennis.

Si porro vasti miracula linquere mundi  
 Mens fuerat, parvo sese quærebat in orbe,  
 Et quam se nosset, scitè monstrabit amicis.  
 Intima detecti perscrutans vascula cordis,  
 Et circumpositus spatium quod pulmo requirit,  
 Hinc jecur innumeras extendens sanguine  
 venas

Inspicit, hærentemque illo, similemque referto  
 Folliculum fisco, & quæ plura minoraque re-  
 stant

Viscera Nunc referans penetralia clausa ce-  
 rebri,

Doctus erat monstrare locum, quem sensus in  
 illo

Quem vigil effingens simulacra & somnia  
 frater

Occupet, aut ubi Mnemosyne sibi tradita con-  
dat.

Nec gestus vultum tunc defecere decori,  
Herophili cum dextra perito corpora cultro  
Solveret, & dubio nexas discrimine partes  
Officiisque suis variantia membra notaret.  
Jam quid opem viresque canam quas senserit  
æger,

Invitus nostræ laudator sæpius artis,  
Hi quorum sævi vexarunt corpora morbi,  
Si nunc ad meritam canerent Soteria tumbam,  
Jam vix Hammopolis clamantes mœnia fer-  
rent,

Voxque tuos ultra rueret, Germania, fines.  
Cautior haud illo certe aut prudentior alter  
Morborum potuit varias exponere causas.  
Paucaque de multis quæ gratia nostra medelis  
Indulfit generi nondum majora merenti,  
Omnia pernorat, virtus insignior herbæ  
Seu daret has, clausove solutum vase me-  
tallum,

Sive pecus vita poterat, seu morte juvare,  
Seu quidvis alias. Non hunc me iudice Chiron  
Vicerit, aut illo longe præstantior Hermes,  
Quorum, si veteri vixisset PLACCIUS ævo,  
Livor edax certo vitiaffet corde veneno:  
Non secus ac pleno cum splendet clarior orbe  
Cynthia, vicino lucentia sydera Cœlo  
Imminuunt radios, Tuque indignaris Orion  
Quod tibi pallefiant hebetatis cingula gemmis,  
Atque impune tibi sæva quod fronte minetur  
Taurus, & armatæ decrefcat gloria dextræ,

Quod-

Quodque suum attentus non cernat nauta laborem

Frigida convertens ægre fert plaustra Boötes,  
Non secus invidit tibi mors quoque pallida,

PLACCI,

Invidit mala Parca Tibi, & mortalibus ægris  
Te rapuit. Lugent fatum, Prudentia, Virtus,  
Ars, Pietas, & pura Fides; lugemus amica  
Numina, jamque preces, atque averſamur  
acerras,

Cum Nato, & nullam posthac sperare salutem  
A nobis nostrisque misellos jussimus ægros.

Postquam Tu PLACCI cadis, & crudelia fata  
De Te, de nostra nec segnius arte triumphant.

Nunc tamen hæc etiam revocamus & omina  
nulla

Has voces, promissa fidem nec habere, voluntas  
Rectior una manet. Nec Spes intercidit omnis  
Nunc etiam: pejora timent præcordia luctu  
Territa, sed meliora manent. Stant omnia salva  
Et voto meliora cadunt, Mutatio mentem  
Consuetâ major, vel felicissima turbat,  
Non perit, verum divinis PLACCIUS um-  
bris

Nunc habitat permixtus, & alta excelsior astra  
Despicit, & pura detergens nubila fronte,  
Degit, ubi nec morbus abest, nec sæva timores  
Antiquos renovant ægris minitancia fata.  
Illic certa Salus Medica non indiget arte,  
Quæ sola famâ & meritorum nomine regnat  
Quæſito, dignisque suas dat ferre corollas.  
At mens æterna gaudet tutissima Vitâ

Fatorumque vices, horrendaque nomina nobis  
Morborum, & fortis leges contemnit, & astra,  
Et secura mali, devictâ morte triumphat.

Interea torum se spargens Fama per orbem  
Qua tellus, quaque unda patet, Tua nomina,

PLACCI,

Portabit, laudesque tuas, & facta tenebunt  
Quos oriens lustrat Phœbus mediusque, ca-  
densque,

Dum vehet Albis aquas, & dum Germania  
mundo

Durabit, dumque urbs Hammonis magna ma-  
nebit.

Et nos in summo monumenta perennia Pindo

Ponemus; Pavo niveum de marmore saxum,

Æternis PLACCI designans nomina fulcis,

Et non mortali circumdans undique lauro,

Et meritis titulos æquans, encomia factis:

Ostendensque suis donaria mixta corollis

Longaque concludens tali præconia versu.

PLACCIUS. HEIC. SITUS. EST, PARCAM-  
QUI. SÆPE. SECANTEM.

CONTINUIT. TANDEM. ULTERIUS. QUÆ  
NESCIA. TEMNI,

FILA. VIRO. MEDIO. VITÆ. CURREN-  
TIA. FUSO.

ABSCIDIT. INVITOQUE. ANIMAM. DE.  
CORPORE. VULSAM.

ASTRA. SUPER. SUMMO. JUSSIT. CON-  
CEDERE. OLYMPO,

OLLI. HAS. INFERIAS. TUMULO. SUPRE-  
MAQUE. DONA

CUM. MUSIS. NATOQUE. DABAT. SO-  
LEMNIA. PHÆBUS.

Hactenus hoc Phœbus, Phœbumque imitata  
canendo

Numina ferali decorarunt carmine tumbam.

Ast ego quæ possum patrio bona verba sepulcro  
Pauca fero, labiisque annali rore rigatis

Nuncupo vota, precesque pio de pectore  
fundo.

Has audi Tu, Magne Deus, mollemque quie-  
tem

Da precor, ossa, levemque hanc experiantur  
arenam,

Donec summa dies, & inevitabile fatum

Jam nunc optatum puero, atque optabile fatum

Te mihi, chare Pater, Tibi Me, Pater optime,  
reddat.

## L A C R U M Æ

In Funere

EBERHARDI MOLLERI,

Venerandæ Ecclesiæ Cathedralis, &amp;

Capituli Hamburgensis Canonici, &amp;

Senioris, Avunculi Magni

desideratissimi.

*Qui obiit A. D. 1707. Dec. LVII. d. 9. Mart.*

*Julian. ætatis sue primo & quinquagesimo.*

**E**Heu quam graviter nos fata immitia pul-  
sant,

Quam crescunt nostræ funera densa do-  
mus!

Vix miseri raptum tumulavimus ante pa-  
rentem,

Charior hac ipsa qui mihi luce fuit.

Ante oculos cujus semper versatur imago,

Sive eat in tenebras, sive sit orta dies.

Et jam consequitur MOLLERUS Avuncu-  
lus illum

Quem simili fato mors inopina rapit.

O dolor! Usque adeo non sunt mortalia tuta,

Et Parca quovis tempore fila secant!

Nos frustra multos nobis promittimus annos,

Et multum frustra sæpe laborat homo.

Sunt virides herbæ tibi semper, Avuncule,  
cultæ,

Et plenus raris floribus hortus erat.

Qui tibi longinquis transmittabantur ab oris,

Svescebanturque tuæ culta lubenter humo.

At nunc ipse jaces, ceu flos, qui marcet ab æstu,

Ut languent herbæ, sic quoque tute cadis.

Indomitâ dum te refecat mors horrida falce,

Quam flos insignis concidis ante diem!

Te flores igitur lugent, herbæque videntur

Languentes Dominum sæpe vocare suum.

Atque ego te pariter lacrumor, flos magne Vi-  
rorum,

Et spargo bustum frondibus hisce tuum.

At tu jam cœlo flos pulchrior ipse nitebis,

Non illic perimet gramina fortis hyems.

Non illic pulchros mors enecat impia flores,

Æternum vernans est Paradisus ager.

Ista meam mœsti recreant solatia mentem.

Namque perit Mundus, quodque habet ille  
cadit: At

At semper summi florent viridaria cœli,  
 Exulat heic dolor, & gaudia sine carent.

## ELEGIDION

deproperatum & fere extemporale

In Obitum

MICHAELIS REISERI,

J. U. D. & Practici apud Ham-  
 burgenses celeberrimi.

*Qui contigit. A.D. 1657. d. 16 April. Julian.  
 defuncti quinquagesimo sexto.*

**Q**uid dicam? redeunt lachrymæ, dum fu-  
 nera crescunt,

Est & Reiserus mortuus ante diem.

Quid queras? hoc iterum nuper quod nempe  
 querebar,

Augentur nostræ funera densa domus.

Jam placidis tepidas Zephyris mulcentibus  
 auras

Ver viget, atque suas Flora ministrat opes.

Jamque calent magni radiantia lumina Phœbi,

Incipit & semper vivere vita magis.

Nostris vita perit, spoliant nos tempora cuncta,

Et vix distinguit mors properata dies.

Nunc horti rursus dicti, florumque recordor

Flos est omnis homo, mundus & hortus

hic est.

Aura gravis sæpe est, & sæpe est lethifer annus,  
 Et virides plantas frigora sæva necant.  
 Intereuntque rosæ, perit & narcissus, & iris,  
 Marcescunt violæ, lilia pulchra cadunt.  
 O infelices! nostram sic nunciat aër  
 Mortem, & tempestas dicit adesse necem.  
 Est tamen hoc nimium. Parcas, Deus optime,  
 parcas,  
 Et tandem avertas vulnera plura precor.  
 Da bene defunctis æternæ gaudia vitæ,  
 Mortua da foveat mollis ut ossa quies.  
 Da nobis etiam crudelem vincere mortem:  
 Quæ nos fata manent sint bona, Magne  
 Deus.

---

 E P I C E D I U M E J U S D E M,

*Serius Elaboratum.*

**E**T justos sua fata premunt: & sedulus æqui  
 Abripitur tutor fati oppressus iniquis  
 REISERUS, cautè dubias exponere leges  
 Doctus, & intortis opponere vera citatis.  
 Quem Themis ipsa suis jam dudum æquissima  
 Myrtis  
 Adscriptum rutilo jussit splendere metallo,  
 Postibus & medii sua figere nomina templi.  
 Solvimur in fletus miseri, meritoque recentès  
 Promanant lacrumæ, condensanturque dolores,  
 Nec vestros minus ac nostros hæc tristitia luctus,  
 Aonides, poscunt. Fœdati culmina Pindi  
 Conquerimur, mœstosque sonos sacra fundere  
 templa, Vos

Vos quoque nobiscum Pœan, & flava Virago,  
 Vosque Dææ triplici felix concordia nodo  
 Quos necit, justas una sociate querelas:  
 Imprimis Themis, colluge, discinde corollas,  
 Et lania vestes, laniaque è vertice crines,  
 Ungue genas violenta seca. Tuque optima  
 virgo

O Astræa dole, atque ululatibus æera comple.  
 vestris, heu vestris flammæ moriuntur in aris.  
 Vestras, heu vestras video længuescere frondes.  
 Dum vobis REISERUS obit, dulcissima pro-

les,  
 REISERUS, quo nunc interprete jura filef-

cunt  
 Abrepto, & friget desertis curia caussis.

Heu Legum nimis una valet, nimis una pro-

batur  
 Exemplis certis, & consuetudine longâ!

Hanc stupuit Natura, & multum invita pro-

bavit,  
 Quando fuit Latore Deo dictata Parenti

Terrigenæ, cum jam delusus fraude Draconis

Lethiferos vetito carpisset ab arbore fructus,

Membraque ficulnâ prævelans turpia fronde

Cum tremeret metuens violati judicis ora.

Adstabant triplices scripturæ foedera Parcæ

Et Lachesis jam cana vagos tunc sparsa capillos

Horrida ferratis insculpsit dicta tabellis.

E RUBRA FORMATUS HOMO SUA CORPO-

RA REDDET

CUM MORIETUR HOMO, TERRENAQUE

TERRA RESUMET:

Hæc Chalybi duroque inciderunt adamanti  
 Fatales Divæ, nimiumque tenaciter urgent.  
 Tum primum promittit fatalia vellera Clotho,  
 Hæsit lana colo, fallaci pensâ rotatu  
 Versato properè cœperunt currere fuso.  
 Hinc ubi grata placent optato tempora cursu,  
 Et sibi promittit multos homo prodigus annos,  
 Atropos ecce venit, dicens. Hic terminus hæret,  
 Porrigere fila soror, fatalia licia rumpam,  
 Et rumpit firmans antiquæ fœdera legis,  
 Fœdera mortales non æqua prementia cun-  
 ctos,

Et quorum vires nemo effugit, Indica sive  
 Littora, & Eoæ quærat cunabula gentis,  
 Seu petat occiduas, fugiens male sedulus oras,  
 Aut latebram quamcunque aliam. Damnamur  
 ubique

Omnes damnamur, quavis mors regnat in aura,  
 Quodque necat sequitur passim, & comitatur  
 euntes.

Hæc quoque præscripti nunc inclementia  
 fati

Te REISERE, premit, nimium cui curta  
 sorores

Fila fecant, & mors addendos eripit annos.  
 Prævisum quamvis nitens defendere vulnus  
 Conservare suum cuperet Themis optima My-  
 sten,

Deflectens alio sævum justissima ferrum.  
 Cui nunc te socians quereris durissima fata  
 Delie, qui docto recinens nova carmina plectro  
 Orabas triplices, iterarent pensâ. Sorores.

Et

Et nova currenti donarent stamina fuso,  
 Threïciamque chelin, repetitaque fila puellæ  
 Cantabas, tibi ne tribui nova dona putarent.  
 Parca refert. Quid Phœbo, paras, quid fata la-

boras  
 Flectere, & infano cupis indulgere dolori,  
 Adscribisque tuis lacrumis ô mœste sorores  
 Innocuas? Cernis decreta adamantina primæ  
 Legis, habent certas currentia vellera metas,  
 Ferrea lanificis nec fata volentibus unquam  
 Accelerasse licet, nec produxisse Deabus.

Anguiger hoc tecum vidit, cum pharmaca lufit  
 Mors mala, cum vestræ labor irritus occidit artis.  
 Ipse hoc, Phœbe, fatis nosti, & si vera fateris,  
 Quid profunt herbæ, quos in tua pocula tellus  
 Producit, quid cara juvant, ô Phœbe, metalla,  
 Quæ vehit Eoo foecundus gurgite Ganges,  
 Pallidus occiduis vel quæ rimatur in antris  
 Fossor, & occultas terra descendit ad umbras.

Aut quid lucida gemma juvat, quam donat  
 Hydaspes.

Aurifer, aut rubicunda Thetis, vel torrida gignit

Africa, vel terris nostris America remittit.

Quidve valent quæ bruta suo dant ventre recisa  
 Singula, quæque sacris in vasis maximus Her-  
 mes

Tradita Vulcano secreta digerit arte,

Quid profunt ea cuncta, antiquæ fœdera legis  
 Si remanent, tetigere suam si stamina metam?

Quid quod & igniferi stellata palatia coeli  
 Fata rotant inscripta hominum, quæ conscia

III pandit Ura-

Uranie, primaque diem disquirit in hora  
Extremum. Sed fata movebat Thracius Or-  
pheus

Inquis, & unanimes renovabant licia Parcae  
Euridices: Thymbræe, (Tibi nam vera loque-  
mur,)

Lufimus Odryfium juvenem, vati que probato  
Persephone legem posuit, quam rite tueri  
Nullus amans posset, vetuit dum flectere retro  
Lumina: flexit amans, conjux remeavit ad  
Orcum

Hactenus illa quidem; magis at turbatus  
Apollo,

Ingemit, & plangunt moerentes funera Mufæ.  
Plangit sancta Themis: resonant Heliconia latè  
Culmina, turbatae manant Aganippidos undæ,  
Parnassusque caput cinctum caligine densa  
Occulit, & luget squallenti vertice Pindus.

Sic igitur doctis etiam requiescere pectus  
Parca jubet. Quid jam cautæ prudentia mentis  
Te REISERE juvant, Sophiâ quid nosse  
magistrâ

Artibus ut variis posset respublica jungi;  
Servari conjuncta, & certa lege teneri,  
Et mores qui quemque hominem, quæ vita  
deceret.

Quid prodest duplicis REISERE peritia juris  
Et vastum Themidos studium; decretaque  
noctu

Lecta, relecta diu, summisque exercita curis.

Quid quinquagenis massa indigesta libellis  
Multum animo digesta tuo, quid profuit in-  
quam

Illâ

Illatibi, & Libris rescripta æquantia menses,  
Et nova quæ totum complent super addita  
Corpus:

Ne jam sacra canam Canonum, vel Publica  
jura,

Et quæ vel numero confundunt omnia men-  
tem.

Si nihil ista juvant, nec defendisse Clientes,  
Innocuos servasse reos, producere vitæ  
Stamina curta Valet, subitumque avertere fa-  
tum.

Scilicet hæc assueta tuas Victoria caussas  
Prompta sequi, si nunc proprium non ipsa  
clientem

Defereret: nondum gelidas REISERUS ad  
umbras

Tenderet, atque æterna moræ decreta manerent  
Nunc aliquæ. Nec enim vulgata peritia mentem  
Ornabat, REISERE, tuam. Quod Scævola  
quondam

Eloquio pollens, & acuto examine juris,  
Quod bini norant Celsi, quod uterque Sabinus  
Et Labeo, oblatus sapiens contemptor honoris  
Præ studiis, summa quæ libertate notabat,  
Et plures alii, quæ nosse, aut nosse videri  
Vix poterant, docta REISERUS mente te-  
nebat.

Non illum fugiebat enim, quæ scribere Paulus  
Multa laboravit, nec ei Pomponius impar,  
Cumque Modestino texens subtilia Gajus,  
Et reliquos omnes Themidos delubra colentes  
Cæsaris indicio præcedens Papinianus,

Qui

Qui sancto iusti ac veri succensus amore  
 Non horrere tuas didicit, Caracalla, secures,  
 Sanguine nec proprio timuit defendere jura.  
 Denique quos celebres nuperrima secula plures  
 Viderunt numero, ah utinam quoque mente  
 sagaci,

Atque accurati studio non segnus æqui,  
 Et docto eloquio, & rerum ratione valentes!  
 Ut reliquos taceam: Non hinc indictus abibis,  
 Bartole, quem præter propriæ fastigia laudis  
 Maxima discipuli tollunt præconia Baldi,  
 Ne tentem reliquam numero comprehendere  
 turbam.

His igitur certi tantis auctoribus æqui  
 REISERUS, docto didicit discrimine rectum  
 Findere, & eloto verum dignoscere fucos.  
 Hinc aderat iustis victoria debita caussis,  
 Jamque suas REISERE Tibi iustissime, lances  
 Ex merito, gladiumque lubens Astræa pa-  
 rabat

Tradere, & alma Themis submittere jura vo-  
 lebat,

Invidit mors atra viro, Clothoque maligna  
 Invidit, strictoque abrumpens stamina ferro,  
 Non invitam animam solita de sede revulsam  
 Jussit ad æternas astrorum scandere metas.  
 Heic, REISERE, meas, superans fulgore  
 coruscò

Sidera. Septenis longe clarissima gemmis  
 Urfa tibi cedit, cedit stellatus Orion,  
 Inductis & luce tua conspergitur umbris.  
 An picturati excipient Te limina cœli

Forſitan , & te mox , REISERE , ſuperbiet  
ardens

Signifer , & ſanctam repetens Aſtræa parentem  
Candida gemmata tradet tibi brachia libræ ,  
Concedens jus omne ſuum , ſedeſque relictas ?  
Aut nos , auratos ubi merſerit æquore currus  
Phœbus , & ardentes revehet nox clarior ignes,  
Addita nimboſo nova ſigna videbimus Auſtro ?  
Pectore qua fremit ignifero Leo fervidus , &  
qua

Evehit autumnas inſignis Scorpio flammas ?  
An potius late qua lactea ſemita cœlum  
Ambit , & à Bœrea madidum torquetur ad au-  
ſtrum

Heroum ad magnas te curia poſtulat umbras ,  
Heic ubi formoſas tendit lyra gemmea chordas ,  
Quæ tibi tunc carmen non ſollicitata refundet :  
Accinet ipſe ſimul modulanti gutture Cyc-  
nus ,

Et ſaliet blando demulſus carmine Delphin ?  
Sed quorſum hæc tam vana Tibi , REISERE  
paramus

Humida non comitem te ſperant aſtra. Sed  
ecce !

Jam ſuprema tibi ſe pândunt limina cœli ,  
Excipit & læta facie te CHRISTUS ovantem.  
Jam tua victricis cinguntur tempora ſerto ,  
Condignumque canunt animæ Pœana beatæ.  
Hic tu ſecurus vives , mundique tumultus  
Deſpiciens . clari ſuperabis lumina Phœbi.

Interea Cives , civi perſolvite juſta  
REISERO Non is lacrimas fletuſve reſuſos

Postula, aut laceras vestes, scissosve capillos  
 Atratosve lares. Minimum lugetur in illis,  
 Vult memores nos esse sui, vult munera saxi,  
 Atque insculpta suo laudantia verba sepulchro.

HIC. SITUS. EST. JUSTI. REISERUS. TU-  
 TOR. ET. ÆQUI.

DUM. VIXIT. POST. FATA. DEUS. CUI.  
 REDDIDIT. ÆQUUS.

MERCEDES. ÆQUAS. SUMMO. DIGNATUS.  
 OLYMPO.

SUSCIPERE. ET. JUSTI. TUTOREM. APPO-  
 NERE. JUSTIS.

COELO. NATA. THEMIS. COELO. QUOQUE.  
 REDDITUR. EJUS.

CULTOR. ET. AD. VEROS. RURSUS. DIMIT-  
 TITUR. ORTUS.

HEIC. VICTURI. ITERUM. CONDUNTUR.  
 CORPORIS. ARTUS,

SAXA. DEDERE. SUI. TITULUM. THEMIS.  
 ADDIT. APOLLO.

CARMINA. MUSA. ROSAS. SUPERADJICIT.  
 OPTIMA. PALLAS.

MISCUIT. HAS. OLEAS. LAURO. PALMA-  
 QUE. VIRENTI.

ORNAVIT. VIRTUS. FULVO. BENE. PICTA.  
 METALLO.

Pii questus in funere

JOACHIMI JUNGII,  
Ph. & Med. Doct. Olim in diversis  
Germaniæ Academiis, & tandem  
in Gymnasio Hamburg. Prof.  
Publ. & hujus Rectoris,

*Qui Septuagenarius beate obiit A. D.*  
*clō. DC. LVII. VI. Kal. Octob.*

**E**Xcessit fervens terris Borealibus æstas,  
Æstas, quæ flavis campos decorabat aristis,  
Æstas, quæ dulces fundebat grata tepores.  
Jam dudum fugiens currus deflectit ad Au-  
strum  
Cynthius, & claræ contingit brachia libræ.  
Deformis procedit Hyems, secum horrida por-  
tans  
Frigora, & umbrosas condensat in æthere  
nubes.  
Hippotades vasto meliores carcere ventos  
Continet, & taciti latitant Zephyrique No-  
tique  
Procedit tristis Boreas, violentior Eurus  
Evolat ingenti prosterbens omnia flatu.  
Funduntur ruptis magna vi nubibus imbres,  
Et jucunda suo spoliantur prata decore.  
Gramina vastati ponunt viridantia campi,  
Et mœrens vacuis decedit Chloris ab hortis.  
Omnia jam squalent, quæ cernimus, omnia  
torpent,

Sic

Sic commutat Hyems, variat sic omnia tempus.

Sed quorsum hæc? curnam solitâ quæ lege  
feruntur

Miramur trepidi? clades Heliconæ sacratum  
Tristior inuasit. Boreas heic sævior hortos  
Pieridum vastat, densissima nubila cauri  
Confundunt. Non heic sanctis favet aura Ca-  
mænis,

Non liquidæ fontis manant Aganippidos undæ  
Amplius, aut puris merguntur labra fluentis.  
Omnia jam frigent, postquam præreptus ini-  
quis

JUNG I U S est fatis, præsignis JUNG I U S ille,  
Gymnasio nostro clarus qui lumina Titan  
Præbuit, & semper nobis fuit alter Apollo.  
Non mihi si Pylîi facundia Nestoris esset  
Dulichiiue Ducis, prædoctique ora Maronis  
Donassent Musæ, non, ô clarissime JUNG I,  
Non tua conarer celebrare encomia JUNG I,  
Te Pæan luget, cui deplorata cupressus  
Tempora circumdat, summique cacumina  
Pindi

Flebile te resonant, doctæ tua fata Sorores  
Deplorant, tragico verrentes syrmate terram.  
Culmina densatæ foedant Parnassia noctes,  
Foedat Hyems, multæ lucem oppressere te-  
nebræ,

Cimmeriis omnes miseri versamur in umbris.

Quid mirum est igitur me carmina pangere  
tanto,

Tanto indigno Viro? Non hæc, mihi credite,  
non hæc

Castalidum de fonte bibi, nec fas mihi Cirrham  
 Appellare fuit solitam, Musasque citare,  
 Quæ vires nostræ consuerant addere menti.  
 Sed tristis multumque dolens, hæc inter opacas  
 Composui tenebras, & vix miserabile carmen  
 Pangere, vix potuit, ne per me JUNGIVS  
 ingens  
 Ferretur miseras indeploratus ad umbras.

## STRENÆ CHARTACEÆ

MICHAELI KIRSTENIO

Ph. &amp; Med. Doct. Mathem. Prof.

Publ. in Gymnasio Hamburgensi

Do. Præceptori meo perpetuo  
 cultu honorando missæ.

Q Uo gressus nimium moves citatos  
 Pœan, & properans trahis sacratos  
 Unâ Pieridum choros Sororum?

An quod jam medius venit December,  
 Saturnum nimis ebrium timetis?

Hoc est: sentio. Sed refer citatos  
 Gressus, Delie, vosque permanete

Una Pieridum chori Sororum,  
 Vano namque agitamini timore,

Non nobis ea festa præparantur,  
 Nobis Falciger usque permanebit

Siccus, compedibusque non solutis,  
 Et nullo madidus mero December

Transibit, modo tu refer citatos

Gres-

Gressus, Delie, vosque permanete  
 Una Pieridum chori Sororum.  
 Et jam dona, precor, parate mecum  
 Vestro KIRSTENIO parate dona,  
 Illi KIRSTENIO parate dona,  
 Quem vix à genetrice prodeuntem  
 Exceptum cupidis tulistis ulnis,  
 Potastisque Aganippiis fluentis.  
 Totum pectora sub beata Pindum  
 Condentes, Heliconioque labra  
 Prorsus nectare tota proluentes.  
 Illi KIRSTENIO parate dona,  
 Illi Perides parate dona,  
 Nunc dum tempora, jusque dum Latinum  
 Permittunt licet æstimanda parvi  
 Hero munera comparare vernam.  
 Verum quid tibi jam boni parabo  
 KIRSTENI, ò nimium mihi probate,  
 Et doctis nimium probate cunctis?  
 Quid quæso Tibi quid boni dicabo,  
 An ceras Tibi, mella caricaeque,  
 Prægnantes caryotides, & uvam  
 Mollem, & liba feram, brevesque mappas  
 Latinos gelidi jocos decembris?  
 Non certe: maneat suis Latinis  
 Cerae, mellaque, caricaeque rugis  
 Deformes, caryotidesque, & uvæ,  
 Nec non dulcia liba, mappulaeque.  
 Mittamus meliora, quæque nostra  
 Exposcit pietas, bonæque Musæ  
 Quæ donare jubent suo Patrono,  
 Et quæ tempora pristinam revinctus

Daphnen Claviger exigit, feramus.

Chartas, & pia vota scripta chartis:

Hæc poscit pietas, Hyantiæque

Hæc Divæ simul, atque Pindus omnis

Unâ, & Claviger hæc suis Kalendis

Janus munera postulat parari.

Ergo quid voveam Tibi, quid optem,

O mundi decus eruditioris,

Et mundi decus elegantioris,

Vatum maxime: Duxque sanitatis

Alter Phœbe, potentiorque Phœbo,

Seu tu Pharmaca posceris, vel herbas,

Seu verbis animo mederis ægro.

O pectus quater & magis beatum,

Pectus fideribus poloque dignum

Quod jam fidera cœlitesque vivum

Complectens super astra summa fertur.

Quid tandem voveam Tibi, quid optem?

KIRSTENI. Hoc voveo Tibi, illud opto,

Doctorum Tibi quod cohors merenti,

Gratus quodque cliens suo Patrono,

Et quod discipulus pius Magistro,

Lingua & pectore sæpius precetur.

Et verbo ut memorem, Tibi quod opto,

Partemve exequar illius quod opto.

Cœlum, fidera, fiderumque cursu

KIRSTENI totiens tibi remensi

Æternum faveant, & ipse Rector

Nutu fidera cuncta qui gubernat,

Nutu fidera cuncta sic gubernet,

Ut semper radiant tibi ferenum,

Ut semper radiant tibi secundum,

Et semper redeant novæ Kalendæ,  
 Et Janus faveat novis Kalendis  
 Dum Pelusiaco fatum Canopo,  
 Et Coum simul, atque Pergamenum  
 Et senem Pylum, probata corda,  
 Ceu dudum numerumque siderumque  
 Vincis notitia, & sacra medendi  
 Vincis, atque peritia loquendi  
 Sic multis superes superstes annis.

F A U S T A,  
 VINCENTIO GARMERS.

J. U. D. Illustriss. Ducis Saxon.  
 Inferior. hætenus Consiliario  
 acclamata.

*Cum crearetur Syndicus patria Rei-  
 publ. Hamburgensis A. D. 1659. 3.  
 Non. Quinctil. Julian.*

Sic ergo indocilis latere virtus  
 Rursum te superas levas sub auras,  
 Cultoremque tui benigna tollis!  
 O jucunda dies, beate Titan  
 Nobis gaudia tanta qui tulisti!  
 Sed jucunde magis, beatiorque  
 Coram gaudia tanta si videre  
 Concessum foret! O mihi beato  
 O si fors adeo dedisset esse!  
 Quis verbis ô Avuncule hos honores  
 Quo vultu tibi gratulatus essem,

Quo

Quo plausu bona fata comprobassem !  
 Verum & gaudia tanta porriguntur  
 Ad nos, & feriunt licet remotos.  
 Nam quo pectora concitantur œstro !  
 Jam Pœan & Hyantiæ sorores  
 Jam vos sentio, jamque dictitantes  
 Scribendo sequor, atque visa nulli  
 Non ipsi mihi penè visâ canto.

Vix Sol Oceano ferebat ora,  
 Atque una Themis atque docta Pallas  
 Parnassi juga summa jam tenebant,  
 Et grex Aonidum facer Sororum  
 Cantu culmina grata concitabat,  
 Et Dux Aonidum simul Sororum  
 Arcu deposito lyram tenebat :  
 Sanctum cum subito nemus moveri  
 Visum est, & duplices micare rupes,  
 Et plausu vario sonare templa,  
 Sanctique incipiunt scaterere fontes  
 Sueto largius, & virere colles  
 Quæ dum conspiciunt Dææ sorores,  
 Mirantur simul, & recentio rem  
 Circum tempora floruisse Daphnen,  
 Et palmas hederasque conspiciantur.  
 Quin, mirum ! Themidos quoque arma mu-  
 tant,  
 Et fulgore novo novum coruscant.  
 Imprimis tamen aureum Minervæ  
 Peplum fulmineis notis rubescit.  
 Et jam nomina clara configurat  
 GARMERI satis emicante sulco :  
 Quæ dum Castalidum Deus stupefcit,

Et surgens solito virere frondes  
 Cernit lætius, ora sic resolvit.  
 Semper sic faveant, benigna nobis  
 Parcæ numina, Cœlitesque summi!  
 Nostra est illa dies, favete divæ  
 Linguis, plausibus, & favete votis,  
 Lætis ominibus favete. Nostra  
 Lux est, quæ patris æmulo fideli  
 G A R M E R O patrios refert honores.

Vix hoc dixerat: & Minerva curru  
 Assumens Themidem volat citato,  
 Cygnos inde sequens agit nitentes  
 Pœan, & comites novem Sorores  
 Hamburgum pariter feruntur omnes.  
 Quo postquam vacuas simul per auras  
 Pervenere, novis decorus ecce  
 Cannis tempora, jam superbiorque  
 Albis per mediam pererrat urbem,  
 Jam sese tibi, comparare, Tibri  
 Audens: Alstria quin & ipsa lymphis  
 Jam non tam tacitis fluens misellum  
 Nissum vocat: æstuanisque Billa  
 Eurotâ viridi magis superbit.  
 Festo moenia perlonant tumultu  
 Cives vota sui probant Senatus:  
 Et jam lætitia nova, suoque  
 Parentes patriæ bono triumphant.  
 Ergo mox Themis atque sancta Pallas  
 G A R M E R O nova signa pilæumque  
 Nec non pallia dant, simulque corda  
 Præceptis acuunt parata rectis.  
 At non interea Deæ Sorores

Cum

Cum Phœbo comitante feriantur.

GARMERUM faciles sonant, & uno  
Uno talia gratulantur ore.

O Ter Hammopolis, quaterque felix

Quæ fortes adeo bonosque cives

Edendo, merito tuo triumphas :

Sed felix magis, & magis beata

Quæ tam fortibus hisce, tam bonisque

Te, curasque tuas, decusque mandas.

O Ter Hammopolis, quaterque felix.

GARMERUM canimus, favete Cives,

Hic est, hic, Themis ipsa quem cadentem

Vix à matre sinu suo recepit,

Quemque amplexa suis tenens lacertis,

Præceptis monuit, quibus nec olim

Instructus Labeo est, Papyriusve,

Aut qui sanguine comprobavit æquum

Magnus Papinianus inter omnes.

Huic civi merito suis honores

Confers laudibus, invidenda multis.

O ter Hammopolis, quaterque felix !

Hanc Florentia provocare noli,

Nec Baldo celebrata quæ fuisti

Nec quæ saxea Bartolum dedisti.

Et Hamburga magis beata vobis,

GARMERO magis est suo beata.

Non huic non Themis una nempe sese

Indulsiit magis huic severa Pallas

Et tu Delie pectus expolisti.

O quantum Themidi Minerva præstat !

O prudentia sola digna cælo !

Mens mundi, & ratio : beatitudo

A Te quam fluit omnis, utque mentes  
 Exornas hominum beasque sola !  
 Præclarum est equidem, paritque laudem  
 Clausos, & nimis abditos recessus,  
 Naturæ, & varios notare mores,  
 Queis Numen regit illud univèrsùm,  
 Et queis per liquidum feruntur astra,  
 Et Phœbe modo sumit, atque rursùm  
 Ponit cornua, seque nube condit :  
 Queis cœlum variat, rotatur axis,  
 In cœloque novi creantur ignes,  
 Et queis fulmina sæva concitantur  
 Tellus concutitur, moventur imæ  
 Umbrarum domus, atque regna ditis :  
 At quanto melius beatiusque est,  
 Regum pectora, Principumque mentes,  
 Nec non consilia, abditosque sensus,  
 Et curas penetrare delitentes,  
 Regnorumque vices tenere, ortus,  
 Instantesque modò videre casus,  
 Et præscire citas nimis ruinas.  
 Hæc Prudentia, perspicaxque mentis  
 Hæc præstat vigor, hæc favor Minervæ ;  
 Dat, G A R M E R E, Tibi, dabitque plura.  
 Et jam tempus erit, diesque cursu  
 Felices venient citatiore,  
 Queis, G A R M E R E, tuos, Tuos honores  
 Regum pectora, Cæsarumque noscent.  
 O quam tunc tua fama, quam vigebit,  
 Et trans Oceani volabit oras,  
 Metasque Herculei laboris extra !  
 Nec Tu jam stygias timere dextras,

Infensasque velis bonis forores,  
 Que quamvis Pyliam vetent senectam  
 Et quam septimus à parente primo  
 Vixit, tangere: Laus tamen manebit,  
 Laus quam nos adamantinis tabellis  
 Cedro quamque notabimus, vel astris.  
 Hæc nullo tamen exolefcet ævo,  
 Dum stabit Polus, atque dum recurrent  
 Orbi secula, Dum madebit Albis  
 Atque Hamburga suo manebit Albi.

---

## PROPEMPTICON

A D

## E U N D E M

*Cum secunda jam Legatione in Angliam  
 Patriæ Inclytæ Civitatis Hambur-  
 gensis nomine mitteretur.*

**A**D non grata quidem, tamen ad pia vota  
 vocamur

Nunc iterum: sic fata volunt, sic tempora  
 poscunt,

Et Superi, & Superis, Patriæ neque jure ne-  
 ganda

Sic pietas mandat, dum rursus Avuncule,  
 nostra

Te felix Hamburga suos exposcit in usus

Et vix concessam rursam eripit ipsa quietem.

Scilicet experta est in Te Respublica quantum

Possideat : tutoque uni fastigia cœli  
Atlanti, credique Tibi sua munia sensit.

O Superi, quantum mortalia pectora diæ  
Lucis habent ! Immane o ! quantum pectora  
distant

Pectoribus, quam dissimiles fatis undique dex-  
tras

Japetionidum, diversaque semina produunt !

O, Tua si dignas nunc in præconia vires  
Dent mihi Pierides : si totus, Avuncule, Pindus  
Nunc mea divivo ruat in præcordia motu,  
Quo dignas animo liceat comprehendere laudes,  
Et versu signare pio : quam tunc mihi latam  
Non rumpenda brevi versarent gaudia men-  
tem !

Non me non quamvis ferus tunc ora premen-  
tem

Cynthius, aut media deprendat Cynthia nocte.  
Tunc Tibi quæ pietas, quæ virtus mascula  
mentem

Condecoret, quam cuncta sagax præsentia pri-  
mis

Componas, & quæ Patriæ nocitura videntur  
Prævideas, caveasque simul : quam sponte re-  
gatur

Imperio Fortuna Tao ; memorare laborem.

Quæ Tua sedulitas, quantusque in rebus a-  
gendis

Sit vigor, & Germana Fides. Tum pectus honesti  
Omnis amans, largasque manus, & lumina  
nullo

Alta supercilio canerem : quæque intima mentis

Ex-

Expoliunt. Quantum faveat tibi magnus A-  
pollo,

Et Themis, & Maja genitus, materque leporum  
Rite recenserem, juncturus & ordine facta,  
Et quæ magna fatis rerum documenta dedisti,  
Horrida cum bellis, & cæde cruenta recenti  
Balthica per sua regna tulit Te cœcula Thetis:  
Arctoi cum Te Reges stupuere loquentem,  
Et medias inter clades, atque horrida castra  
Auribus attentis avide Tua dicta notarunt.

O Ter felices optatis civibus urbes!  
Nec minus his Cives, patriæ servire paratos,  
Queis animos natale solum tam nobile tollit.

Haude equidem (res nota probis,) sua clau-  
ditur unquam

Virtuti regio, cui se commendet, & amplos  
Per casus varios tandem mereatur honores:  
Attamen & faustæ remanent sua munera forti,  
Invitisque nefas aliquem se tollere divis.  
Scilicet, ut tandem superas tollatur in auras  
Virtuti datur, at modico conamine tolli,  
Hoc vero est vultu, non uti fortis iniquo.  
Hic favor, hoc meritum, tibi donat Avuncule  
munus

Quod geris, atque jubet patriæ succurrere rebus  
Sic Te nunc Hamburga cupit, laudatque co-  
litque:

Tu magis hanc etiam magnis virtutibus ornas.  
Sic mixtum fulgore decus majore coruscet,  
Auctoresque tui præstringit fidera fati.

Sed quorsum mea Musa ruis? Jam, sentio,  
non sunt

Hæc venæ memoranda meæ. Laus tanta vigores  
 Mæonios, magnique sibi velit ora Maronis,  
 Aut si fas majora dari. Jam siste ruentem  
 Aut aliò deflecte ratem, Germanica Thetys  
 Qua vocat, & nostro subducta Britannia  
 mundo,

Quam nunc ORATOR PATRIÆ GAR-  
 MERUS adibit,

Ora salutatum reducis lætantia Regis.  
 Hanc mecum justis evincere Dorida votis  
 Nunc opus est: postquam luctantem & frustra  
 volentem

Me nunc fata sequi prohibent. O si mihi tecum  
 Cœrula securis liceat convertere tonsis,  
 Sedulus ut comes, atque operum mirator ades-  
 sem,

Verbaque cum factis, cum verbis facta notarem!  
 Sed quoniam mala fata negant, fas cedere fatis.  
 Interea postquam fugientem lumina pinum  
 Jam nequeunt, saltim felicia vota sequentur,  
 Vota animo profusa pio, quæ fata sequentur,  
 Quæ rata permaneant, & quæ per cœrula tecum  
 Extremos adeant, animo comitante Britannos.  
 Talia concipio: postquam sic tempora poscunt,  
 Et venti tua vela vocant, & carbasus auras  
 Excipit, egestis & mundior Albis arenis  
 Subsilit, & promptos plangentes littora fluctus  
 Ipse oculis lustrans, cannas componit agrestes,  
 Jamque viam parat, & puppi se sternit eunti.

Ergo vale, dilecte vale, & quo publica poscunt  
 Commoda, flecte ratem. Vincant communia,  
 vincant

Effusas lacrimas natorum, & vota maritæ.

O felix: nullo feriant tibi corda pavore

Horrida vefanis pugnancia cærule ventis,

Legatique invifa recenti funere tellus.

Longe aliud tibi fata parant. Tibi ridet Olym-  
pus,

Ipsè Poli Rector procul hinc procul omneti-  
mendum

Esse jubet, fratremque suum quem cura tuendi  
Æquoris alma manet, tali sermone salutat.

Frater, noster amor, cui regni cura secundi

Cessit, & undarum subjecta potentia soli est,

Si Te cura mei, fraterna que fœdera tangunt,

GARMERI servato caput, cui magnus Apollo

Atque Helicon junctus vestris committitur  
undis,

Extremosque petunt, Tua nunc per Regna Bri-  
tannos.

Huic aut ipse ratem dextrâ torquere memento,

Aut Ino fidam, parvumque Palæmona mitte,

Nympharumque chori, & gratum Nereides  
agmen

Non secus huic plaudant, latique sequantur  
euntem

Ac ligurem, mundo cum non contentus Eoo  
Tenderet occidui monstrare cubilia Phœbi.

Ergo, ô fortunate vale, cui cœrule plaudunt

Numina, cui Tamesis jam se submittere gaudet

Mollior, & festis præcingens tempora cannis.

Ergo vale placidum properans securus in  
altum,

Non Helenæ visure faces instare ceruchis,

Non Hyadas, ignesve Jovis, non aspera ventis  
 Æquora, nec Boreæ barbam subiture rigentem.  
 Ergo vale, Legate, vale, rebusque peractis  
 Quas patria, & cives, & publica commoda pos-  
 cunt,

Ad nos fortunate redi, & nova gaudia portans  
 Jam dudum votis agitato excipe plausus.

O Superi, siquidem vestrarum præscia vatum  
 Pectora venturi facitis, mihi pandite, quando,  
 Quando erit illa dies, albo signanda lapillo,  
 Aut auro potius, vel vestris, India, baccis.  
 Quam mihi tunc dulci salient præcordia motu,  
 Gaudia quam medias ferient mihi tanta me-  
 dulas.

Quæ mihi tunc facies, hilaris cum nuncius olim  
 Incolumem & reducem Te, dulcis Avuncule,  
 pandet.

Interea certa dum spe bona læta fovemus,  
 Terque quaterque vale, & nostri memor usque  
 maneto,

Publica dumque tuas agitant commercia curas,  
 Ne patiare omni nos plane excedere sensu.

At vos, ô animæ, quos sanctum Heliconæ  
 tuendi

Cura manet, queis mellifluis Aganippidos undis  
 Concessum relevare firim, comprehendite totum  
 Pectore Parnassum, dignas in grandia vires  
 Carmina concipite, ut reducis sit dicere laudes  
 GARMERI patulis quas signent floribus Horæ,  
 Pieridesque simul positæ ex ære columnis  
 Insculpant, cedrove notent, quo plurima durent  
 Secula, post seros recolenda nepotibus annos.

## URANOGRAPHIA

Sive

## Enumeratio Siderum metrica,

*ita facta, ut singulis sideribus singuli  
ferè versus respondeant.*

Sidera quæ moto circum volvuntur Olympo,  
Quæque in sublimi variis stant fixa figuris,  
Cum nostros optata quies amplectitur artus,  
Jamque plagas omnes nigranti condidit umbra  
Juppiter; & rebus Nox abstulit atra colorem,  
Enumerare juvat, tenuique includere versu,  
Eximium mundi decus, ornamentaque summo  
Picta polo. Quorum Boream pars altera cernit,  
Et numquam æquoreis penitus se proluvit  
undis,

Aut cito se reddit nobis, si lapsa prematur:  
Altera distantem longè declinat in Austrum,  
Et raro aut nunquam nostrum se tollit ad  
orbem.

Has inter latè media est via secta per ambas,  
Qua cœli bis sex astrorum lucidus ordo  
Vertitur, & justum describit Cynthus annum.

Nunc age divinos ex astris funde liquores  
Uranie: da nosse Polo stent sidera quanta,  
Quove situ. Tu nosse soles distantia cœlos  
Quæ dirimat terris, humiles qua Cynthia velox  
Ducat equos, & qua niveo Cyllenius astro  
Carpat iter, Cytherea suos qua devia currus  
Flectat agens, medio dum constans Cynthus  
orbe

Permanet: hinc rutilum quali discrimine Mar-  
tem

Juppiter adspiciat, gelidumque ut sidus oberret  
Falcigeri. Tu Diva tenes, tu plurima nosti,  
Quæ fugiunt oculos. Tu dignis instrue mentem  
Viribus, & nostro facilis succurre labori.

Sidera signifero quæcunque videntur in orbe  
Principio dicam, hinc rerum descendet origo.  
Phryxæus primo pandit sua vellera Custos,  
Flammivomus juxta Taurus fera bella minatur,  
Quem prope Tyndaridæ felicia sidera fulgent,  
Proximus inde loco sitientia brachia Cancer:  
Et Nemees terror flammantes porrigit armos,  
Illustremque nitens Virgo protendit aristam.  
Excipit hanc noctem dispescens Libra diemque,  
Et Nepa fulgentes jaciens è pectore flammas,  
Quam prope tu volucris minitans Centaure Sa-  
gitta

Monstrosoque cubas Capricorne notabilis ore.  
Vicinus largas effundit Aquarius undas  
Queis inhiant annum claudentia sidera pisces.

Accipe nunc summo nobis fulgantia Cœlo  
Sidera, quæ Boreas nigris amplectitur alis.  
Summa tenent Ursa metuentes æquore tingi,  
Sidonios juvat hæc nautas, juvat illa Pelasgos.  
Dividit has medius magni Draco fluminis instar,  
Frigida qua gelidus torquet sarraca Bootes,  
Cui Super incumbens Arctoa Corona quiescit,  
Sub qua sidereum retines Ophiuche, colu-  
brum,

Nixa genu juxta supplex spectatur imago,  
Et Lyra lucentes intendit gemmea chordas,

Acci-

Accinit huic Cycnus Ledæi pignus amoris.  
 Hinc armate volas telo Jovis armiger ales,  
 Tuq; novem stellis fulgens Delphinæ Corufcas.  
 Inde Equus Auroræ p̄diantes concutit alas,  
 Cui comes it stellis obscurum quatuor astrum  
 Hinnulus. Hinc Virgo Cepheia vincta catenis,  
 Et caput infelix attollens Cassiopea  
 Anguicomæque venit Perseus cum fauce Me-  
 dufæ,

Et prope Deltoton fulgescit lampade trina.  
 Rex etiam Æthiopum sedet alto vertice Ce-  
 pheus,

Et qui cornipedes primus conjunxit Erictheus.

Porro quæ feriat pennis humentibus Auster  
 Sidera sunt dicenda mihi. Nunc suffice verba  
 Musa favens, viresque animo suffunde labanti.  
 Exhibet immanis prima sua tergora Piftrix,  
 Stellifer Eridanus variis qua flexibus errat.

Heic arcu & canibus geminis venatur Orion  
 Quorum alter Procyon triplici ferit æthera  
 flamma,

Sirius ast alter maturas urit aristas,  
 Et Leporem pedibus fugientem captat, & ore.

Fulget & auxilio puppis fabricata Minervæ,  
 Cumque illa Veneris sacra circumvolvitur ales,  
 Et longum cœli tractum sibi postulat Hydra,  
 Crateremque gerit dorso, Phœbique volucrem.  
 Semivir hinc magnus magni Præceptor Achilles.  
 Apparet, fera cui manibus resupina tenetur.

Ara prope hinc flammis radiat speciosa corufcis,  
 Et Diadema magis madidum quod vergit ad  
 Austrum,

Et

Et Notius tandem vibrat sua lumina Piscis.

Denique sunt quæ non norat studiosa ve-  
tustas

Sidera, quæque Notus æthibosus humidus alis  
Abdidit. Heic toto Phoenix sedet unicus orbe,  
Et Palamedis avis rostro spectabilis amplo.

Et pharetram multis onerans hastilibus Indus,  
Atque illi notus recubans argenteus anser,

Et Paradisiacæ volucris Junonia certans  
Turgida gemmatæ pandit spectacula caudæ.

Stat pariter Triquetri radians Australis imago,  
Quique suis cœlo piscis sese intulit alis.

Hactenus & nostris Xiphias incognitus oris,  
Et tibi qui tremulo fugienti, musca, volatu  
Insidias, alias victurus & aëre, necit.

Extremumque polum quæ circumvolvitur  
Hydra.

Tot Sunt quæ toto commota rotantur  
Olympo

Sidera, tam varias scitè referentia formas,  
Et tot flammiferis incendunt æthera gemmis,  
Gemmis, quæ lucem faciant, quæ tempora  
signent,

Et cœlum latè decorent, & fata gubernent.

Quanta hic quanta etiam sese misteria celant!

Quantus is est, tales qui fixit in æthere flammæ,

Et iussit mutare locum, & labentibus annis

Et definitis cœlum peragrare diebus.

Magna Deus, certè tua sunt miracula, nobis

Cum tenebris nox condit humum luxque al-  
ma recedit,

Lucida quæ signant stellato emblemata cœlo.

Te

Te Dominum laudant tua sidera, teque ve-  
rentur,

Alme Deus, par ergo & nos tua dicere facta,  
Queis terram, & cœlum, queis sidera celsa  
creasti.

Tu modo qui Cœlum, Pater optime, volvere  
fata

Nostra jubes, moderare precor, quo talia nobis  
Fata ferant, animos fragiles quæ frangere no-  
stros

Non valeant, donec tecum super astra, superque  
Astrorum sedes summo regnemus Olympo.

## RELEGATIO INVIDI

A D

### INVIDIÆ HABITACULUM.

**I**Nvide, quid cœlum sinceraque sidera cœli  
Lædis, & inviso lumine cuncta feris?

Aëra quid turpi scædas, scelerate, veneno,  
Dum male vis illis virus inesse tuum?

Cur pede pestifero florentia proteris arva,  
Afflatuque gravi culta rosæta necas?

O fuge, dira lues, cum terris sidera cœli  
Et mare quæ violas, ô fuge dira lues.

Effuge dire procul, ne quæ felicia cernas  
Cor tibi disrumpant, effuge dire procul.

O pete Cocytum, stygiis te conde tenebris,  
Solve odio terras, Invide, solve Polum.

Pelle moras, Pestis, loca Sole carentia vise,  
Ut

Ut tua viventis funera terra premat.  
 Namque quid es quæso, vivum nisi fortè ca-  
 daver,

Telluri moles, exitiumque tibi?

An tu dignus eris radiantia cernere Phœbi  
 Lumina, qui Phœbo lumen abesse velis?

An tu dignus eris fulgentia cernere Phœbes  
 Lumina, qui Phœbæ lumen abesse velis?

Gemmea quis merito te judicet astra videre,  
 Queis, dum aliis desint, ipse carere cupis?

Quin age Cimmerias deserta luce tenebras  
 Quærito, qua Scythico frigore terra riget.

Ipse tibi sedem monstrabit Caucasus atram,  
 Antraque non Phœbo, non adeunda Notis.

Illic tabificæ Genetricis tecta patebunt,  
 Nulli adamata homini, nulli adamata Deo.

Non illuc radios dignatur spargere Titan,  
 Non surgens, medius, non videt antra cadens.

Nec quæ noctivagas moderatur in æquore bi-  
 gas

Cynthia, sed stygios odit & ipsa lares.

Incubat infectis semper nox horrida faxis  
 Et riget assiduo regia dira gelu.

Undam si quæras, nusquam est, mutatur in  
 altam

Hæc glaciem, glacies hæc quoque rara tamen.  
 Hanc igitur, nemo terram signavit aratro,

Ut lætus segetem tolleret inde novam.

Turritive olim decorandam mœnibus urbem  
 Ponent, aut docta conderet arte domos.

Nudus ager passim, tellus neque commoda  
 Baccho,

Nec

Nec Floræ, aut Cereri, pomiferæve Deæ.  
 Quæ legitis flores procul hinc procul ite, puellæ,  
 Non nisi mortifero gramine terra tumet.  
 Pro violis surgit virus Lethale cicutæ,  
 Lurida pro Paphiis stant aconita rosis.  
 Hic urtica manus incautas urit, at illic  
 Erigit impexas hispida lappa comas.  
 Pro thymbra miseris dominatur carduus arvis,  
 Armat & invifum spina cruenta solum.  
 Heic carpiffise puto rigida de cote venenum  
 Phasida, quo natum tolleret ipse parens.  
 Hæc Italæ Circæ, & tibi gramina misit, Erich-  
 tho,  
 In scelera & noxas exitialis humus.  
 Hinc quæ nocturnam fœdabat sanguine lunam  
 Deprompsit vires Thessala turba suas.  
 Hic quoque quis labor est maturas perdere  
 messes,  
 Lanigerosque quibus cura necare greges.  
 Qui nodo socios cogunt sterile scere lectos,  
 Spemque jubent misero prolis abesse thoro.  
 Hic coeunt. Pars arma tenent, herbasque no-  
 centes,  
 Et tristes succos, & mala fata legunt,  
 Pars subeunt diræ penetralia furva parentis,  
 Quæque bonis noceant matre docente no-  
 tant,  
 Hæc inno recubat multum deformis in antro,  
 Qua visum tenebræ vix penetrare sinunt,  
 Aspicit obliquo venientes lumine cunctos,  
 Pallida suffuso pectora felle virent.  
 Cernere saxificæ te credas ora puellæ,  
 Cer-

Cernere Tisiphones te gravis ara putes,  
 Stant dignæ dominâ comites: Suspiria, Pallor,  
 Et Rabies scissas sparsa cruore genas.  
 Non procul hinc etiam lapidosis errat in arvis  
 Et morfu plantas vellit anhela Fames,  
 Et raram inveniens miseros à ventre dolores  
 Perpetitur, nec jam quo satietur habet.  
 Invidet huic Livor tamen, & male sustinet illam  
 Adspicere, effossas dum terit ore dapes.  
 Assistunt etiam & divæ famulantur inertii  
 Desidia, & pigris semper amica Quies.  
 Et Dolor, & Gemitus rumpentia murmura  
 mœstos,  
 Jurgiaque & Rixæ, Prælia sæva, Doli.  
 Innumeræ circum Pestes, quas India misit,  
 Aut de Cinyphiis terra Libyssa jugis.  
 Scorpius hic sævæ metuendus acumine caudæ,  
 Et seps tabifico singula dente premunt.  
 Et natrix sanie melior vitare fluentia,  
 Et stygiam dipsas non positura sitim.  
 Torridus & Præster, & rumpens vipera matrem,  
 Quæque rubeta herbas inquinat atra bonas.  
 Stelloque Herculei ut rapiat medicamina  
 morbi,  
 Qui vorat exuvias invidus ipse suas.  
 In medio residet diris vallata colubris  
 Pestibus his cunctis sævior, ipsa Parens,  
 Fœdaque nunc trifidis immulgens ubera lin-  
 guis  
 Hydri suppeditat grata venena suis.  
 Dipsade nunc rabidi pascit jejunia ventris,  
 Sedat & anguineo sanguine tosta sitim.

Huc

Huc fuge, & umbrosos subito pete, dire, penates:

Hæc te sola manet, livide, digna domus.

Odisti nitidi gemmantia lumina Phœbi:

Hæc radiis Phœbus non ferit antra suis.

Promanant lacrumæ tibi si viridaria vinas,

Et loca quæ Chloris, quæ colit alma Ceres.

Huc fuge, qua solis horrens stat carduus arvis

Qua frondes nullas lenior aura movet.

Ingemis, & lacrimas, vicina palatia cœlo,

Dignaque Cecropiâ Pallade tecta videns.

Huc perverse veni, saxis ubi turpibus horrent

Antra, & sponte sua qua cecidere jacent.

Ploras, si viridi moduletur in arbore carmen

Threïcium recinens Daulias ales Itin,

Garrulus aut strepitet si Psittacus ore loquaci,

Aut quascunque bonas silva ministrat aves.

Hæc te digna domus, diro quam carmine Bubo

Implet, & exofus funera mœsta canit.

Et cantu semper Coccyx odiosus eodem,

Et Corvus pullis invidus ipse suis,

Quæque alit in viso furaces ubere fœtus,

Et tenet à sero vespere nomen avis.

Hic cum matre potes gratis latitare tenebris,

Et dare livori digna alimenta tuo.

Sed tibi ne sedem invidet tamen ante rogato,

Dætque suos comites inter habere locum.

Tunc tibi distentam coluber condatur in alvum,

Viperaque expellat dilacerata famem.

Dentibus hic Lybicam dispescere disce Ce-

raïtam,

Et

Et Cenchrus candens impleat ora tibi.  
 Quæque vagis inibi passim miscentur arenis  
 Ammodyes, vel qui flumina perdit Hydrus.  
 Aeternis illic lacrumis suspiria misce,  
 Nec cessâ raras dilacerare comas.  
 Nosque, tui, semper maneant felicia, luctus,  
 Pectus corrodant ut sine fine tuum.  
 O fuge triste malum cui vel concedat Erynnis  
 Et crucians animas dira Megæra malas.  
 Nondum pestis abis? Jam te Cyllenia proles  
 Pellet, & proprium coget abire locum.  
 Tu flebis pulchrum juvenem cum videris  
 illum,  
 Plorandi causam singula pulchra dabunt.  
 Plorabis galeam, plorabis lumina virgæ,  
 Et subito volucris quod pede carpat iter.  
 Et forsân saxi capient tua membra figuram,  
 Ut quondam Aglauros invida dirigit.  
 Nempe sibi pestis livor; sibi funeris auctor  
 Supplicii que manet lividus ipse sui.  
 O fuge Livorem, qui vitæ tædia damnas  
 O fuge, qui mortem, quique Acherunta  
 fugis.

### PROTEMPTICON

*Ad Amicum, Lugdunum Batavorum  
 Studiorum gratiâ abeuntem.*

**S**ic igitur patrios linquis, dilecte, Penates,  
 Siccine natalis nunc tibi sordet humus?

Agna-

Agnatosque tuos, & amicos deferis omnes,  
Et me non dignum hos inter habere locum?

Et meditaris iter properans, & turba tuorum  
Mæstior acclamat, dulcis amice, vale!

Ergo etiam à nobis, quoniam sic fata requirunt,  
Accipe, sed mœsto quod venit ore, vale.

Dulcis amice vale, ò utinam salvere juberem  
Te reducem, quanti lux foret illa mihi!

Sed non adveniunt jucundi tempora Veris,  
Grandine ni crepitans ante feratur hyems.

Semina nulla leges nisi flos intercيدات ante,  
Semina nulla virent, ni retegantur humo.

Sic neque nos reditus carpemus gaudia læti,  
Ante tuum mæsti quam videamus iter.

Ergo vola, & tacito transcurrere per æquora cursu,  
Et faveant pariter Pontus & aura tibi.

Ipse Polus facie tibi fulgeat undique læta,  
Et cursus radiis sidera fausta notent.

Magna minorque feræ faveant, procul exu-  
let illa

Quæ perdit miseros sæva Lacæna viros.

Deliteant septem radiantia sidera flammis,  
Quasque Hyades recte Grajus ab imbre  
vocat.

Nec pelago surgat semper nimbosus Orion,  
Flamina nec moveant, impetuosa ratem.

Emergant gemini felicia sidera fratres,  
Et Cancer siccos qui male torret agros.

Atque Aries pelago passus sævissima damna,  
Quæque viros Argo trans mare prima tulit.

Imprimis Regina tuæ Cytherea carinæ  
Præsit, non frustra prodiit illa falò.

Sedulus ipse premat , tumidas Deus æquoris  
 undas,

Æolus & ventos sedulus ipse premat.

Sed premat aduersos , reliquos è carcere mit-  
 tens,

Ut tacitam lenis provehat aura ratem.

Doris amara suos studeat compescere fluctus ,  
 Ne tardent cursus , dulcis amice , tuos .

Ipsa etiam gratum crebræ Nereides agmen  
 Circumdent gyro navis utrumque latus.

Nesée , Proto , Galatéaque , Cymodoceque ,  
 Eulymeneque simul , Cymothoëque simul.

Atque Amphitrite , atque una formosa The-  
 misto ,

Et cum Glauconome , Lyfianassa comes.

Et numeros fugiens madidarum turba so-  
 rorum

Cætera , per fluctus undique læta natent.

Crebrius & feriant iteratis plausibus undas ,  
 Ut reddant geminos concava saxa sonos.

Adsit & ipse comes Diva cum matre Palæmon ,  
 Cum Glaucō Proteus adsit & ipse comes.

Cæruleus Triton , resonat cui buccina cantu ,  
 Præcedens tritas indicet usque vias.

Sic demum Batavas , sic intras lætus Athenas ,  
 Quas tua vota petunt , quas tua vela petunt.

Illic Te vultu venientem Phœbus amico  
 Aspiciat , gratis annumeretque choris.

Et sancta monstret loca religione vetusta ,  
 Et delubra suis vix aëunda Diis.

Donec ubi docta comprehenderit omnia mente ,  
 Salvus ad optatos regrediare lares.

O quanta illa dies portabit gaudia nobis,  
 Quo cernent reditum lumina nostra tuum!  
 Interea dilecte vale, rebusque secundis  
 Hæc absens animo pauca dicta tene.  
 Sis memor usque mei, precor, & dum corpore  
 præsens  
 Esse nequis saltim mente animoque velis,  
 Et quoniam sermone vetamur condere soles,  
 Sæpius ut scriptis multa loquare, Vale.

## PROPEMPTICUM

*Ad Amicum Italiam petentem.*

**E**Rgo gementes, optime jam tuos  
 Amice linques, & patrios lares  
 Albisque contemnens fluenta  
 Aufonium Tiberim videbis?  
 Alpene tanti scandere frigidas,  
 Urbemque magni visere Romuli,  
 Dilecte tanti num videre  
 Est Italas, ô amice, terras?  
 Sic ergo nostræ linquere mœnia  
 Nunc urbis audes, nec refugum tui  
 Nunc te morantur, verba quondam  
 Ne toties, ô Amice nobis  
 Regesta temnas? Mors nisi ferrea  
 Ni tela lethi, nos violaverint,  
 Non casus hæc sejunget ullus  
 Nec rapiet sibi vinceta corda.

146 C A R M I N U M

Spes occiderunt. Nos juga separant,  
Celsique montes, vastaque flumina,  
    Condisce quæso, disce linguam

    Corrigere, heu nimium benignam.

Quid orbis omnes visimus angulos,  
Parvaque pontum quid rapidum trabe  
    Secamus; & secreta mundi

    Nemo sui penetrat minoris.

Cubile Solis qui geminum cupis  
Transire, duri qui Boreæ plagas  
    Notumque perlustrare tendis,

    Ne nimium tua vota lauda.

Est terra punctum: suspice sidera  
Campumque cœli stelliferi vide,  
    Est terra punctum supputanti,

    Ah miser in minimo laboras!

Laudata Phœbo quem sapientia  
Æquabat astris inclyta, Socrates,  
    Amans quietis, cautus urbem

    Cecropiam minimè reliquit.

Sic dum vigeabant aurea secula,  
Quicumque norat littora proxima  
    Contentus illis haud studebat

    Flumina sacra videre Gangis

At stulta postquam regnat opinio,  
Aurata postquam tempora desinunt,  
    Mutatur orbis: nunc probamus

    Plurima qui petiere regna.

Mens ergo laudis coeca cupidine  
Non saxa curat, non rapidas aquas  
    Moratur: objectamus, omni

    Jam caput intrepidum periclo.

Sed

Sed increpamus quod minime licet  
Mutare nobis. Quin potitus tibi

Nunc fausta justī comprecamur,

Heu miseri fugiente amico.

O vade felix, dulce caput vale,

Quacunq̄ue pergis, quaque refers pedem

Fortuna ridens te sequatur,

Et tua coepta Deus secundet.

Jam nos relinquis: Sed memori tamen

Nos mente ferva, mox iterum advolans,

Quantum dies ò chare, quantum

Advehet hæc mihi gaudiorum,

Quæ te sodali, quæ patriæ tuæ

Optate, reddet. Pluribus hanc malis

Et tristibus lucem diebus

Candidus unio separabit.

O Somne, mœstis mittere mentibus

Desideratam qui requiem soles,

O somne, qui tollis dolores

Et simulacra refers amica.

Cum nigra curas nox geminaverit,

Pectus sopore tange papavere,

O somne visum mitte lætum

Lumina quod mihi nota monstret,

Frontemque lætam: nec rosæ genæ

Absint, & gestus addat amabiles,

Collumque noscendis lacertis

Cingat, & hæc superaddat, oro.

Amice junctas non juga separant

Convexa mentes, nec vaga flumina:

Sunt vincla nunquam distrahenda

Queis animi religantur ipsi.

## 148 C A R M I N U M

Agnosce noti singula corporis  
 Agnosce membra, & da, bone, da mihi  
 Exosculer frontem cupitam,  
 Atque oculos aperi jacentes.  
 Hæc dicat ille; Me capiant thoro  
 Cedente somno gaudia dulcia,  
 Phœbique præmatura culpem  
 Lumina, præcipitemque noctem.  
 Donec remittens incolumem Deus  
 Te reddat Hamburgæ. Interea decus  
 Valeto nostrum, sed valeto  
 Ter repeto, memor usque nostri.

V E-

## VENUS MARINA.

Epithalamium  
 In nuptiis auspiciatissimis  
 Felicissimorum sponzorū Hambur-  
 gensium, sub nomine  
 QUINTI. Mercatoris prudentissimi,  
 & peritissimi,  
 Et DRUSILLÆ Virginis lectissimæ,  
 & castissimæ.

---

THALAMUS.  
 VENERI. MARINÆ.

CUI. SE. NAVIGATURI. COMMENDANT.

QUINTUS ET DRUSILLA.

QUORUM. THALAMUS. MARE. EST.

SED. PLACIDUM. SED. TRANQUILIUM. ET.  
 FOECUNDUM.

NAVIGIUM. PRÆSTAT. CYTHERÆA.

SACRUM. PULCRUM. NOVUM.

CONSTRUIT. HEBE. EXORNAVIT. PALLAS.

CORONANT. CHARITES.

MYRTO. NAUTICA. CYTHERAICA. LIT-  
 TOREA.

SPONSUS. NAVITA. EST. CUPIDO. NAU-  
 CLERUS.

MAGNES. ET. CYNOSURA.

HEIC. ETIAM. ARCANO. NUTU. SIBI. RE-  
SPONDENT.ANIMUS. SPONSI. SPONSÆQUE. CORCU-  
LUM.ADEST. MERCURIUS. QUINTO. PROPITIUS.  
PRO. PHARO. EST. CYNTHIA. NOCTILUCA.  
PORTUM. ADESSE. NUNCIANS. NAVIGAN-  
TIBUS.DIOSCURI. ETIAM. LUSUS. ET. JOCUS.  
PROSPERRIMI. AFFULGENT.  
NON. OPUS. EST. PER. ITINERUM. AMBA-  
GES. CONSEQUI. QUAS. VOLUMUS.

MERCES.

MOX. ONUSTA. ERIT. NAVIS. HÆC. PUL-  
CRIS. PRETIOSISSIMISQUE.QUEIS. TERRA. COELUMQUE. DITESCET.  
ITA. PROMITTIT. LUCINA.FAVET. COELUM. MARE. FAVET. FAVENT.  
VENTI.SIGNUM. DAT. HYMENÆUS. ORAM. SO-  
LUIT. CUPIDO. NAVIGATUR.NAVITA. SECURAM. MODERATUR. IN.  
ÆQUORE. PUPPIM.ET. TUTUM. PELAGUS. PRÆSTAT. AMICA.  
VENUS.QUISQUIS. ADES. NAUTAM. CELEBRA. VE-  
NERISQUE. CARINAM.FAUSTA. PRECARE. SIMUL. PLURIMA.  
QUISQUIS. ADES.

## VENUS MARINA.

**S** Parferat auratam Dea flava rubentibus  
athram

Floribus, & croceo fucaverat aëra succo,  
Matutina suos nondum contraxerat ignes

Cynthia, nec toto decesserat aurea cœlo:  
Cum nova panduntur cupidis spectacula terris,  
Cœlicolumque cohors vadit, qua permeat Albis  
Hamburgam, & trinæ tollunt fastigia turres.

Insperata venit Charitum pulcherima turba,  
Fronde Dionæa nitidum variata capillum,  
Et lemniscatam calathis sua munera myrtum  
Exhibet, & messos cœlesti pollice flores

Mox etiam veneris devolvitur aureus axis,  
In quo cum fulva sociantur Balsama myrrha.  
Cassiaque, & laurus Parnassia culmina sacras  
Donarant, dederasque Crocon tu, Tmole, ru-  
bentem

Lydiæ: contulerat sua munera fertilis Henna,  
Hybla thymum, addiderant Pæstana rosaria  
fiores

Sanguineos, violæ præluceat purpura nigræ.  
Hic decus Oebalium radiat, Cynereius illic  
Flosculus, & pariter rident melilotos & iris,  
Candida cum flava præfulgent lilia Caltha.  
Non Amaranthus abest, nec abest Narcissus,  
& ecce

Permiscetur odor Thymbrae cum rore marino.  
Atticus hic volucris quicquid producit Hy-  
mettus

Mellilegæ, quicquid Cypriis nutritur in hortis,  
 Visitur, imprimis tamen omnia germina pingit  
 In Paphys myrtus florens decerpta viretis.

Flumineis trahitur currus per gramina Cygnis,  
 Et quatiunt niveæ stellantia frena columbæ,  
 Quas Princeps moderatur Amor. Comitantur  
 euntem

Mille alii, pars ferta ligat, roseasque corollas  
 Præcipiti delata rota, pars nubila fulcat,  
 Et cito cæruleas pennis libratur ad undas.

Ut jaciat varios per limpida flumina flores;  
 Exacuunt alii nitidas in cote sagittas,  
 Et tingunt blando fulgentia tela liquore,  
 Firmiter incautis sponforum hæfura medullis.  
 Sunt quoq; qui stipent pharetris florentia dona,  
 Suaviter ut nimbium redolentem versa refun-  
 dant.

Sunt queis interea faculas incidere curæ,  
 Frigida quæ tacitis succendant pectora flam-  
 mis.

Sic varie defudat amor, qui ludere gaudet  
 Callidus, & nullos fugiens perferre labores.

Aspicit hæc viridi recubans pater Albis in  
 ulva,

Gemmea dum teneris prætexit cornua cannis,  
 Aspicit, & cupidus trahit ad spectacula Nym-  
 phas,

Et rogat Divos, quo florida munera portent,  
 Quid myrtus velit, & divino pollice frondes  
 Connexæ, quæ causa viæ. Tum talia reddit  
 Aglaia, ambiquis illudens candida verbis.

Alma Venus patrias puppim deducet in undas,

Quam

Quam castis manibus struxit florentior Hebe,  
Ornavit Pallas prudens, & ut omnia fiant,  
Nostra manus meritâ decorabit fronde cari-  
nam,

Et parili cinges, Cyllenie, germine nautam.  
Navita QUI NT U S erit, patriam qui providus  
urbem

Ditat, & oppositum puppes qui mittit in orbem.  
Huic alias docili persuasit quærere merces  
Atque suo Cytherea virum se credere regno  
Jussit, & optatis opibus stipare carinam.

Illi nuda cohors flores decerpfit Amorum.  
Queis pelagus sparget blandum, queis unda vi-  
rebit,

Jamque colorato procedet navita ponto.  
At vos si, Nymphæ, cum nauta cernere puppim

Forte juvat, myrto viles mutate coronas,  
Et quas cæruleis tegit Alstria pura fluentis,

Et quas muscofo servat sub gurgite Billa,  
Najades indigenas udasque vocate sorores,

Et pariter festum Veneris celebrate Marinæ,  
Vos volucer deducet Amor. Sic illa locuta

Hortatur faciles glauco cum flumine natas,  
Ocyus ergo volant una, qua ducit in urbem

Semita, nec tardo tendunt ad mænia gressu.  
Jamque loco quo prompta salo stat splendida

puppis,  
Cum puero volucris felix Amathusia festo

Constitit: alatæ circumstant undique turmæ.  
Jamque sacra velant myrtorum fronde carinam

Formosæ Charites, simili Cyllenius ales  
Arbore felicis prævelat tempora nautæ.

Mirantur Nymphæ Divos, & lumina QUINTI.  
 Imprimis tamen imprimis jam cernere puppim  
 Ornandam gaudent: dum spectant singula  
 laudant,

Structuram celebrant aptam, formamque de-  
 coram.

Vix sic vix Lybici stupuerunt flumina Nili,  
 Cum visura suum vento proflante Lyeum  
 Scinderet aurato pontum Venus Afra faselo,  
 Serica miranti cum lintea panderet Austro,  
 Candida Sarranis annectens suppura velis,  
 Cum freta pulsaret remorum argenteus ordo,  
 Junctaque multi-sono modulatrix tibia fistro  
 Mulceret placidis lætos delphinas in undis,  
 Aëraque Eoo completerent Balsama odore  
 Suavia. Vix adeo mirarum ab imagine rerum  
 Confusus, tu Cydne Cilix, cum gurgite lem-  
 bum

Exciperes puro, atque undas ridere videres,  
 Et dulci geminas Clarescere carmine ripas.  
 Navita jam grati carchesia libat jacchi,  
 Exposcens dextros divos, pelagusque quietum,  
 Et cupiens multo curas dispellere lusu.

Hesperus aurato diffudens lumina vultu  
 Tempus adesse monet, quo fulgida puppis in  
 undas

Descendat, quam pulcra Venus, quam Pronu-  
 ba Juno

In mare dedunt, unaque impellit Amorum  
 Læta cohors. Roseo pontus conspergitur  
 imbri,

Et placidæ vernant undæ, clavumque gubernat  
 Ecce

Ecce Cupido suum, signum dat clarior Hymen,  
Dulcifona recinens hæc nautica carmina  
concha.

Prima Venus placido Venus imperat optima  
ponto,

Prima undas secuit patrias. Nam gurgite post-  
quam

Spumifero concreta Dea est, & candida risit;  
Cœperunt subito rabidi mitescere fluctus,  
Et legem didicere pati, conchaque repanda.

Prima triumphatas Venus aurea transiit undas.  
Define jam porro Cytheræam spernere Pallas,

Inventum laudare tuum jam turgida noli  
Amplius, haud celeri pelagus rate prima per-  
erras

Velivolum, nostræ manet hæc nova gloria  
divæ.

Invitumque tuis cessit conatibus æquor,  
Cæruleusque pater violatas vindicat undas:

Huic mare placatis sternit se fluctibus ultro,  
Et gaudet vitreum dominæ submittere dor-  
sum.

Prima venus patrio Venus imperat optima  
ponto.

Atque undas adamat gratas, foecundia regnis  
Udis inde venit, numerofo semine pisces

Augentur. Nempe & cum nato diva sub undis  
Delituit, squammis velans cœlestia membra:

Unde polus pascit pisces, quos exiit illa  
Cum puero, crebris stellatos corpora gemmis.

Hic etiam notas Amathusia diligit undas,  
Et thalamus pontum, puppim vult sponsa fi-  
guret,

Navita fit sponfus, clavumque Cupido gubernet.

Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.

Et mare securum præstat. Non tubidus Auster  
Hic freta permiscet, Boreas non erigit æquor,  
Non undis decimo superintonat unda tumultu,

Physeterve salum spatiosus gutture anhelò  
Expuit in puppes, non lurida Serra minatur,  
Non mala Symplegas rorantia territat astra,  
Neve ratem in cautes ducens scopulosque sonantes

Scylla rapax trepidas latratu concutit undas,  
Aut juxta recubans immani mersa barathro  
Evomit ac sorbet fluctus infana Charybdis.  
Naufraga non Syrtis, non hic piratica classis,  
Nec miseros nautas chordis armata sonoris  
Carmine lethifero deludit callida Siren.  
Non ideo patulas aures concludere cera  
Est opus, hic fidis funduntur verba labellis,  
Carmina nec lethi aut damni, sed nuncia vitæ.  
Hic Cytheræa suas tutus vult naviget undas,  
Cui placet innocuo malum committere ponto.

Prima Venus placido Venus imperat optima ponto.

Nec satis est: puppim quoque præstat, cedere dudum

Cui fuit Argolicam Pallas confessa carinam.  
Qua picturatus merito splendesceret æther,  
Scilicet hoc cœlo condignum Colchica pinus  
Præstitit, atque ideo cœlesti luce coruscat,

Quod

Quod magicis technis, quod fraude adjuta  
puellæ

Auricomum rapuit vellus, natamque parenti  
Abstulit, atque luem miseris advexit Achivis.

Dignior at quanto ratis hæc lucentibus astris,

Quæ cum nobilibus ditarit mercibus orbem,

Non tantum ignifera gemmata nitescet in  
æthra,

Sed summo æternum felix radiabit Olympo,

Exuperans faciem Phæbes, & lumina Phœbi.

Alma Venus placido Venus imperat optima  
Ponto.

Illa Dionæam vult sumat navita frondem,

Illa jubet parili præcingere germine puppim.

Pulcra Venus gaudet myrto, quod littora ponti

Hæc amet, & simili secum quod prodeat ortu.

Vult hinc felices myrto cingantur amantes,

Atque Cytheriaco radiet sua turba decore.

Vult myrto frondescat ovans, quod germine  
vincta

Hoc tulit auratum Divis prælata metallum.

Hinc merito Paphiis umbratur navita ramis,

Qui pontum ingreditur, Venerique obtempe-  
rat, atque

Mercibus advectis facie procedit ovantis.

Alma Venus placido Venus imperat optima  
ponto.

Insuetoque mari ne navita latius erret,

Ipsa gubernaculo doctum præfecit Amorem,

Qui **QUINTUM** doceat qua clavum dirigat  
arte.

Define discipulum Typhin celebrare Minerva

Flava tuum : melius puppim regit ecce Cupido,  
 Dædala quem docuit genitrix, nunc doctior ille  
 Instituit nautam. Piscem sic callidus olim  
 Informabat amor. Nam candida carbasa pandit  
 Hoc doctore noto, pro remis brachia tollens  
 Pompilus, & gaudet nativa ludere puppi  
 In pelago, & magnas præcedens ducere naves.

Prima Venus placido Venus imperat optima  
 ponto.

Somne tuos frustra tentas inspergere flores :  
 Somne soporiferum non hic diffundere virus  
 Expedi. Haud clavum Palinurus dirigit illum  
 Nunc cautus moderatur Amor. Si Juppiter  
 audet

Spernere Lethæo madidantia germina rore,  
 Providus ille puer potius tua gramina temnit,  
 Cum Jove qui pontum & squalentia tartara  
 vincit.

Ocyus hinc procul hinc trepidantibus effuge  
 pennis.

Atra soporato medicata papavera succo  
 Tollit, & Assyrio Charis optima mutat amomo.  
 Et Paphiam Staeten jungit. Tua sesama ridet,  
 Ridet, & halantem superinjicit optima myr-  
 tum

CrySTALLUSQUE nitens opobalsama grata re-  
 fundit.

Saucia quæ sacræ stillarunt germina virgæ,  
 Sed Paphia violata manu. Venus optima cul-  
 trum

Strinxit, & excepit manantes Gratia guttas:

Uberius sacro disruptus vulnere cortex

Necta-

Nectareum emisit succum, dedit optima nato  
Mater, & hoc tumido sudum facit aëra ponto,  
Dixit, & huic fomni cedunt effusa venena.

Jamque Venus, stimulis te pulsatura rosarum  
Advolat, & volucrem trahit ad sua classica  
turbam.

Ocyus hinc procul hinc nigrantibus effuge  
pennis.

Prima Venus patrio Venus imperat optima  
ponto.

In vasto errantes Helice regat æquore Grajos,  
Et te Sidoniæ observent, Cynosura, carinæ.

Non opus ad vestras spondis attendere luces.

Hic amor observat miræ mysteria gemmæ,  
Arcano constans nutu quæ respicit Arcton.

Jam lapidis vestri cessate inquirere vires,

Quos juvat abstrusas rerum cognoscere causas,  
Scrutari nolite Arctoum vergat ad axem

Num lapis, an potius fallens declinet ad Au-  
strum,

Num scopulus gelida positus cognatus in Arcto  
Maximus agnatum poscat sua femina saxum,

An Polus, an Cynosura altè qua fulgurat ignis  
Virtute arcana trahat ad sublimia gemmam.

Diversus lapis hic, diversaque fulgurat Arctos.

Pandite queis sacros aperit Natura recessus,

In thalamo magnes cur se convertat in altum,  
Quæ vis corda trahat, quis jungat pectora

nexus?

Prima Venus placido Venus imperat optima  
ponto.

Huc ades, & nitidæ studium jam linque pa-  
læstræ, Sive

Sive palæstra placet potius, tamen ocyus adfis.  
 Omnia fingit amor, varias simulare figuras  
 Gaudet, & optatis mentes illudere formis.  
 Cogitur hoc mandante aliud sivi pingere corpus  
 Juppiter, & trifidi flammæ deponere teli.  
 Nunc fluitat rutilum faculis liquefactus in au-  
 rum,

Virginis arcano ditans penetrabilia nimbo:  
 Capripedis Satyri nunc fallit imagine tectus,  
 Ardua lunato prætendens cornua vultu.  
 Fit formosus olor, niveo fit corpore Taurus,  
 Ocyus, & tortum gaudet simulare Chelydrum,  
 Et latitans aquilâ liquidas volitare per auras.  
 Cum compellit amor, cum mandat maxima  
 Cypris.

Hic etiam diversa tibi pandetur imago.  
 Si mavis, fixæ si stat sententia menti.  
 Atque palæstritæ sumet cito navita formam,  
 Et faciem siccæ mox pontus habebit arenæ.

Prima Venus placido Venus imperat optima  
 ponto.

Cynthia flammantes præluceat candida tædas,  
 Proque Pharo radiat. celebrent Marçotida gen-  
 tem

Lumina noctivagæ quæ sustulit æmula Lunæ  
 Structa Pharos Pario quondam nitidissima  
 faxo:

Hæ nautis placeant faculæ, quos jactat in undis  
 Neptunus: nobis potior nunc fulgida Phœbe  
 Splendeat, optatum monstrans pulcherrima  
 portum,

Cujus in hoc etiam præpollent æquore vires.

O Dea quæ furvas dispellis clara tenebras,  
Exere pulchricomum melius jubar, exere vul-  
tus

Virgineos, mœsta tristentur sidera luce  
Indignata tegi, nec jam sua cornua taurus  
Tollat, & Orion dextram miretur inermem.

Prima Venus placido Venus imperat optima  
ponto.

Quid juvat externis homines consistere terris,  
Et fragilem infidis committere fluctibus alnum,  
Quid pinum natitare jubere, & findere lym-  
phas?

Quæ vitam tenui est insania credere ligno,  
Ut tempestates metuant, rapidasque procellas,  
Et summis adversa notent instare ceruchis

Sidera, sollicitumque mari confundere cœlum?  
Quis furor, ô miseri, Boreum transcendere  
gyrum,

Squalidior canis ubi cantibus incubat Horror,  
Ignarumque tegunt glacialia marmora pon-  
tum.

Quaque informe Chaos depresso Hyperione  
puro

Panditur, & nautas trepidos nox atra repellit.

Quorsum flammivomum malesani visimus  
Heclam,

Tristis ubi dominatur hyems, manesque que-  
runtur,

Et quid sperati superamus culmina montis,

Linquentes tecti frontem post tergora Nili?

Quid prodest sacri Gangis tranare fluenta,

Externoque fretum pacatum stringere remo,

Ex

Ex quo rorales haurit Dea Lutea lymphas,  
 Queis avidam perfundit humum, qualucidus  
 exit

Phosphorus, igniferosque agitans tu Phoebe  
 caballos,

Et cum candenti consurgunt sidera luna?

Cur etiam antiquis ignotum quærimus orbem  
 Efferus humanas ubi devorat incola carnes,

Atque parens nati pinguefcit corpore, ventrem  
 Nec timet infandum dapibus scelerare pro-  
 fanis,

Dira Thyestææ recoquens sibi fercula mensæ?

O valeant tantis bona non bene parta periclis,  
 Non opus est spatii pelagus proscindere longis,  
 Et variis terris, varioque affluescere cœlo,

Et noctes multis infomnes ducere curis,  
 Perpetuisque malis, lethique timoribus angi,  
 Discite mortales vitare pericula vitæ:

En docet alma Venus pretiosas sumere merces  
 In patria, & pulcris opibus stipare carinas.

In Thalamo magni posuit compendia mundi  
 Alma Venus: lymphas faciles, fluctusque qui-  
 etos

Hic stravit, tutasque vias, vacuasque periclis,  
 Esse dedit, certosque notantia sidera portus.

Et merces pulchras promisit, & annua lucra,  
 Queis cedunt longe quæ fessus navita portat,  
 Deserit exustos nimio cum Sole Penates,

Et patrias velis & votis reppetit oras,  
 Omniaque optatis expandens lintea ventis

Pervigili studio perituras excipit auras.

Prima Venus patrio, Venus imperat optima  
 ponto. ○

O pulcras merces, o dulcia gaudia nautæ!  
 Merces queis tellus, merces queis sidera gau-  
 dent.

Mittant diversæ & confundant munera terræ  
 Plurima, non nostras æquabunt omnia gazas.  
 Mittat Banda nuces, mittat sua Cinnama Cei-  
 lon,

Serica det Persis, niveas Armuzia baccas,  
 Candida cum moscho dimittant vascula Sinæ.  
 Et locuplete manu gemmas offundat & aurum  
 Indus, eburque ferat, rubicundaque munera  
 cocci,

Et tepidas hyemi mittat Moscovia pelles,  
 Fuscaque melliferis det dulcia saccara cannis  
 Brasilia, & Tyrium fundentia ligna colorem.  
 Proferat optatum Guinea perusta metallum:  
 Palladios latices, & succum mitis jacchi  
 Conferat, auratos addens Hispania fructus.  
 Velleris attonsi & pretiosæ stamina lanæ  
 Præstet cæruleo pulsata Britannia ponto.  
 Et gignat frigans Spitzberga immania cete.  
 Quid variæ merces cumulataque munera pro-  
 sunt?

Omnibus his tellus tantum ditescit: Olympus  
 Muneribus crescit nostris, & regia cœli.

Alma Venus placido Venus imperat optima  
 ponto.

Dicite felices, Veneris se credere regno  
 Queis datur, & cœlo dignas adducere gazas,  
 Dicite vesanam turbam, quæ gaudia nostra  
 Odit, & optato non vult applaudere nautæ,  
 Horidus hunc vectet pallenti navita cymba

Qui

Qui cælo merces dignas, & gaudia terræ  
 Invidet, & Veneris pelagus tranare recusat.  
 Dicite tranquillo procedat nauta profundo,  
 Semper, & ipsa suæ faveat Venus optima puppi,  
 Atque Dioscuri niteant lususque jocusque  
 Et nautis ignes & mercatoribus æqui,  
 Nunc etiam vobis oriantur amantibus æqui  
 Idalium fausto cursu dum finditis altum.  
 Sic vobis merces veniant, fructusque petiti,  
 Vestraque fortunata domus ditescat amando,  
 Dum zephyri molles flant, & tractabilis ær  
 Dum placidos spondet fluctus, pelagusque  
 quietum,  
 Blanda que securo Venus imperat optima  
 Ponto.

PRI-

PRIMITIÆ POETICÆ  
DEO TER OPTIMO  
MAXIMO SACRÆ.

SIVE

## DECAS PSAMORUM DAVIDIS

Inter prima Schediasmata à multum  
adhuc puero metro compre-  
henforum.

## PSALMUS V.

*Verba mea auribus percipe, Domine:*

1. **T**Andem, summe Pater, Conditor om-  
nium,  
Omnes imperio qui stabili regis,
2. Audi sæpe vocantis  
Attentus miseri preces.
3. Nostræ namque preces Te, Pater, unicum
4. Spectant. Te rogitò, cum modo lucidum  
Profert Cynthus orbem  
Consuetos reditus parans.
5. Tu vero facilis me, Deus, audies,  
Attentusque meas accipies preces:
6. Nam Tu perdis iniquos  
Injustosque odiis premis.

7. Aucto-

7. Auctores scelerum quippe, Deus bone,  
Injustique penes Te minime manent,  
Mendacesque maligni  
Justis suppliciis cadunt.
8. Verum fretus ego Te facili Deo,  
Mox intrabo Tuam, Summe Pater, domum,  
Orans ac Tibi vota  
Puro pectore nuncupans.
9. Sanctam justitiam des Helicen mihi  
Quæso, Summe Parens, & via me Tua  
Ducat contra meorum  
Immensum numerum hostium.
10. Deest namque omnibus his candida veritas,  
Et virtus penes hos exulat integra:  
Turgentque ima repleta  
Tetris viscera fraudibus.  
Tum rictus avidi ceu tumuli patent,  
Incautosque vorant, falsiloquis mera  
Dum mendacia linquis  
Nectunt, ut capiant probos.
11. Hos tandem, ô Deus, in iudicium voca,  
Et juste pereant atque cadant sine:  
Omnes namque rebelles  
Pugnant, Summe Deus, Tibi.
17. Felices animæ; quos merito manent  
Constanterque beant gaudia, dum probos  
Tutatur Deus idem  
Qui conturbat & impios.
18. Nomen lætificum quisquis amat Dei  
Ponat mœstitiam. Gratia enim Dei  
Et defendit, & ornat  
Cunctos ceu clypeus probos.

## PSALMUS VI.

*Domine ne in furore tuo arguas me :*

1. **N**E me, Summe Deus, corripjas furens,  
Aut irâ miserum percitus arguas :
2. Conservet potius me tua gratia  
Infirmum ac fragilem precor.  
Ægroto medicam porrige dexteram,  
Magno namque tremunt ossa metu mea
3. Consternata nimis, fractaque mens jacet  
Succumbens gravibus malis.
4. Ah nectis nimias mî misero moras,
5. Tandem Te facilem redde mihi, precor,  
Et tandem miserens eripe me, Deus,  
Tantis anxietatibus.
6. Vivet namque Tui quis memor obsecro,  
Fauces Tænarias qui semel attigit ;  
In lethi tenebris, in tumuli specu  
Quis laudes cecinit Tuas ?
7. Exangues lacrumis assiduis genæ  
Horrent, perque diem plangitur integrum,  
Et nox umbriferum cum caput extulit,  
Stratum fletibus irriro.
8. Sic vivus pereo, ac intereo videns,  
Et mens sollicitis plena doloribus  
Turbatur, facies macrior indies  
Luctu consenuit mero.
9. Tandem hinc ite procul, linquite me mali  
Respexit lacrumas Omnipotens meas,
10. Motusque assiduis questibus est meis,  
Audiuitque humilis preces.

11. Jam tandem ergo malis ora notet pudor,  
 Et terror veniat panicus hostibus:  
 Ut gressum referant, & trepident metu,  
 Et letho subito cadant.

## P S A L M U S VII.

*Domine, Deus meus, in te speravi:*

2. **S**umme Parens, Mundi non enarrabile  
 Numen,  
 In te spes mea tota recumbit.  
 Tu perdes hostesque meos, atque impia  
 corda,  
 Quæ sine fine malum mihi quærunt.
3. Ne subito miserum me possint perdere  
 letho,  
 Ceu quam corripit ore fremente  
 Marmaricus prædam leo, cum per ovilia  
 plena  
 Esuriens hinc errat & inde,  
 Et laniat pecus, & laniatos devorat artus,  
 Ni defendat ovilia custos.
4. Summe Parens, Rectorque poli, num ta-  
 lia feci?  
 Si scelus hoc mea dextra peregit
5. Impia, sive malum de me nil tale merenti  
 Sæva dedit, seu perdidit illum  
 Cui numquam læsus mihi succensebat a-  
 cerbe,
6. Corripiat licet hostis inultam  
 Hanc animam, subitoque truci me morte  
 peremptum

- Tartareum detrudat in Orcum ;  
 Atque domum cœci me cogat visere Ditis ,  
 Et mea gloria transeat omnis .
7. At nunc surge , Deus , nunc hostis frange  
 furorem ,  
 Et propera mihi reddere munus .
8. Mandatum , ut rursum populus te lætus  
 adoret ,  
 Ac Tua festa frequentet , ut ante .
9. Omnia tu suprema vides , Tu perspicis ima ,  
 Pro meritis Tu præmia reddis .  
 Atque simul pœnas imponis fontibus æ-  
 quas ,
10. Ergo mihi quoque præmia redde ,  
 Judiciumque tuum meritis metire meisque  
 Factis , atque retunde malignos .  
 Nam Tu , Summe Deus , mortalia pectora  
 nosti ,  
 Et vel renes inspicis imos ,
11. Te penes auxilium nostrum est , meritum-  
 que brabejum :  
 Tu miseros non deferis æquos .
12. Terribilis Domini injustis minitantis ima-  
 go est .
13. Si quis ei parere recuset ,  
 In promptu est ferrum , quod cuspide ful-  
 get acutâ ,  
 Quo perimat mox ipse rebelles ,
14. Quin etiam flectens adducto cornua nervo ,  
 Cum iusta ferus æstuat irâ ,  
 Spicula mortiferum promit facientia vul-  
 nus ,

Et mala pectora fauciat ictu ,

15. Quo pateant fraudes, quas intima viscera  
condunt.

16. Ecce dolos homo parturit ille,  
Eventum sed iusta dolis fortuna negabit.

17. En foveam modo fodit, ut illam  
Impleat ipsius iustissima sarcina corpus.  
Nempe lapis ceu jactus in altum  
In caput auctoris, sic & scelus omne re-  
dundat.

18. Ast ego grates, Æque Redemptor,  
Æternas, laudesque paro Tibi dicere longas,  
Dum mihi mens & vita manebit.

## P S A L M U S XXIV.

*Domini est terra, &c.*

1. **T**elluris universi,  
Et quidquid est in illa,  
Et orbis universi,  
Et quidquid est in illo,  
Dominum Deum vocate.

2. Nam solus ille totum  
Superincubans aquarum  
Vastissimis fluentis  
Fundavit universum ;

3. Jussitque ferre montes,  
Et montium sacrorum  
Sacerrimum Sionem,  
Vero Deo dicatum.

Quis scandet ergo sanctum

Sancto-

Sanctoque quis sedebis

Tibique dedicato

Sionis hocce monte?

4. A cæde nempe dextram

Qui fervat innocentem,

Qui corda labe grandi

Contaminata nulla

Precibus fideque purgat :

Nec multa mentiendo

Qui pejeravit umquam.

5. Beatus ille semper

Manebit, illiusque

Deus dator salutis

Miserebitur potenter.

6. Hæc illa nempe gens est,

Deus alme, gens beata,

Quærentium salutem,

Quærentiumque Numen,

Et Numinis colendum

Ac semper Israëli

Cum posteris benignum

Lætabilemque vultum.

7. Huic Israëlis ergo

Vos Principes potentes,

Cupidi que vos salutis

Pii bonique cuncti,

Aperite jam patentes

Et ampliate portas,

Animi simulque mundi

Aperite jam patentes

Et elevare portas,

Ut gloriosus ille

Ut Rex honoris intret.

8. Quis ille gloriosus,  
 Quis ille Rex honoris?  
 Dominus Deus, potenter  
 Qui regnat universo,  
 Dominus deus potenter  
 Qui præliatur Heros.

9. Aperite jam patentes  
 Et ampliate portas,  
 Animi, simulque mundi  
 Aperite jam patentes  
 Et Elevate portas:  
 Ut gloriosus ille  
 Ut Rex honoris intret.

10. Quis ille gloriosus,  
 Quis ille Rex honoris?  
 Virtutis ille summæ  
 Dominus potentiaque,  
 Zebaoth, Deusque verus:  
 Hic ille gloriosus  
 Hic ille Rex honoris.

P S A L M U S XXXII.

*Beati quorum remissa sunt ini-  
 quitates, &c.*

1. **O** Terque quaterque beatos,  
 Queis crimina cuncta remittit,  
 Paccataque turpia velat  
 Magni Deus arbiter orbis.

2. **O** terque quaterque beatos,

Queis

- Queis nil Deus imputat, atque  
 Animis & pectore quorum  
 Dolus exulat omnis, & astus.
3. Mihi vero, subdolos olim  
 Mea dum volo furta latere,  
 Ferienti vocibus astra  
 Senuerunt ossa dolore.
4. Nam nocte dieque vicissim  
 Tua me fera dextera pressum  
 Tenuabat, sole perenni  
 Veluti ficcantur arista.
5. Igitur confessus iniqua  
 Frustraque abscondita facta,  
 Mea sum, fassoque benignè  
 Dominus delicta remisit.
6. Hanc, juste Deus, bonitatem  
 Posthac pius omnis adoret,  
 Veneransque in tempore, numquam  
 Mala sentiet ultima mundi.
7. Ubi me tetigere pericla,  
 Tu solus & unicus adsis  
 Vindex, ut ab hoste triumphem  
 Hilaris, Præanaque cantem.
8. Faciam, fers, Alme Redemptor,  
 Animoque & viribus auctum  
 Mea quæ se semita pandit  
 Proprio te lumine ducam.
9. Mulæ sine mente furentis  
 Modo ne sis instar, equive  
 Qui ferre lupata recusat,  
 Nisi vi plagisque coactus.
10. Nam verbera plurima tales

Imitantes bruta manebunt,

Ubi me spe concipitentes

Mea gratia certa fovebit.

71. Igitur vos pectore puro

Qui iusta probatis & æqua,

Hilares, animoque sereno

Dominum celebrate benignum.

## P S A L M U S XXXVIII.

*Domine, ne in furore tuo arguas me : &c.*

1. **M**Oderator & arbiter orbis  
Deus, hoc Te deprecor unum,
2. Calidâ ne fervidus irâ  
Des in mea crimina pœnas.
3. Nam nunc quoque tela misello  
Trepidum stringentia pectus  
Tua sunt defixa, premitque  
Tua dextera sæva gementem.
4. Nullam mea fracta salutem  
Retinet caro, dum minitaris:  
Neque pax manet ossibus ulla,  
Ita me mea crimina terrent.
5. Mea crimina, quæ mihi totum  
Caput alta mole superstant,  
Et ab omni parte gravato  
Onus imposuere molestum.
6. Nam quæ solidaverat olim  
Mea vulnera ducta cicatrix,  
Serum nunc putida rumpens

Saniem

- Saniem male foetida fundit.
7. Miser & sine viribus, ægrè  
Mediotenus erigo corpus,
8. Tristisque macescere lumbos  
Tenui cum corpore cerno.
9. Quantum miserabilis, & quam  
Morbo maciatus acerbo  
Suspicia seria lasso  
Gemitusque è pectore fundo!
10. Qui pectora nostra creasti,  
Et pectora nostra gubernas,  
Nosti mea vota, nec umquam  
Mea Te suspiria fallunt.
11. Mihi pectus & ossa liquefcunt,  
Animi vis tota labascit,  
Oculis quoque luminis usus  
Obscurior occidit omnis.
12. Qui me comitantur amici,  
Noti, aut mihi sanguine juncti,  
Viden? ut stent eminus omnes,  
Mea quo contagia vitent.
13. At gens inimica malignas  
Etiamnum injuria fraudes  
Mihi neçtit, & omnia tentat,  
Si quâ detur arte nocere.
14. Ego vero fracta dolore  
Pressi miserabilis ora,
15. Similisque per omnia muto  
Nihil illis usque regeffi:
16. Sed Te, Deus alme, fideli  
Animo veneratus, & ore  
Humilem contemnere vocem

- Ne nunc velis, oro, precorque,
17. Ne si mea vota precesque  
Des ferre volucris auris,  
Inimica Tibique mihi que  
Secum fera turba triumphet.  
Nam si modo debilis ultra  
Tantillum ego forte vacillem,  
Aderit mala turba, meisque  
Acuet sua júbila damnis.
18. Quid enim superare dolorum  
Misero mihi fas erit ultra,  
Qui natus ad omnia dura,  
Crucior relevamine nullo.
19. Fateor, me cuncta mereri  
Quæ perfero, pluraque longe;  
Si crimina singula fassi  
Rigidus punire labores.
20. Dum quæ Tibi turba mihi que  
Odium nil tale merenti
21. Conservat, & impia justos.  
Vexat, sine limite crescit.
22. Ne desere me, Deus alme,  
Ne me, Deus alme, relinque:
23. Sed serius auxiliator  
Misero mihi redde salutem.

## P S A L M U S L I.

*Miserere mei Deus, &c.*

3. **M**iserere mei, miserere  
Deus alme, benigne Creator,  
Solitâ Tibi pro bonitate Mi-

- Miserere mei, miserere.
4. Scelerum, precor, ablue fordes,  
Peccataque turpia dele,
  5. Quæ plurima (proh dolor!) in me  
Agnosco, nimisque tremisco.
  6. Tibi, Rex & maxime rerum,  
Tibi vere injurius uni,  
Justas, neque jure notandas  
Me judice debeo pœnas.
  7. Nec enim me labe carentem  
Matrem peperisse putabo,  
Quæ fordibus ipsa gravatâ  
Miserum conceperat alvo.
  8. Sed Tu, Pater optime, veræ  
Bonitatis amator, & auctor,  
Mihi ne quid nescius essem  
Dederas mysteria Verbi.  
Verbi, sine quo neque mundo,  
Mihi nec notescere posset  
Tua magna, & sancta voluntas,  
Dederas mysteria nosse.
  9. Hujus, Pater optime, Verbi  
Violati labe gravatum  
Tua nunc me gratia purget;  
Hysopos ut omnia mundat.
  10. Sic me nive candidiorem  
Tua nuncia læta revifant,  
Et libera criminis ossa  
Recreent imasque medullas.
  11. Oculis ne crimina nostra  
Enormia respice fixis:  
Maculas sed mentis iniquas

Aversus, & elue fordes.

12. Purum & sine crimine pectus  
Iterum mihi finge, Creator,  
Tum pectore firmus in illo  
Renovetur spiritus opto.
13. Præfens Tua magna benigni  
Maneat mihi gratia vultus,  
Neque pectora sanctus & insons  
Mihi spiritus ima relinquat.
14. Post tot, Deus alme, dolores,  
Gemitusque è corde profusos,  
Solatia spiritus alma  
Tuus ossibus inferat imis.
15. Sic devius ipse viator,  
Ubi semita vera reperta  
Fuerit mihi rursus, eandem  
Alios servare docebo.
16. Modo Tu, Deus alme, petenti  
Lethalia crimina deme,  
Ut te similis mihi turba  
Peccantibus audiat æquum.
17. Nam si mea crimina tollis,  
Linguam referabis, & ora  
Mihi, quo tua facta per orbem  
Celebrem laudesque recantem.
18. Nec enim Te victima tantum  
Holocaustaque pinguis placant:  
Alias te victima pinguis  
Holocaustaque larga manerent.
19. Sed quæ Tibi victima vera  
Holocaustaque digna probantur,  
Sunt anxia se tibi corda

Humili sternentia cultu.

20. Non hæc Deus optime, temnes,  
Sed grata, benigne, fovebis.  
Igitur miserere Sionis  
Solymæ miserere labantis,  
21. Quæ te, Pater optime, supplex  
Rogat, ac holocausta miserto  
Feret, & te mentibus æquis,  
Vitulis venerabitur aras.

## P S A L M U S CII.

*Domine exaudi orationem meam, &c.*

2. **D**EUS alto è culmine coeli,  
Humilem qui respicis orbem,  
Miserum ne sperne clientem,  
Sed suscipe vota precantis.  
3. Faciem ne corde benignam,  
Quotiens ego rebus in arctis  
Voco: sed cum mœstus anhelò,  
Facilem da protinus aurem.  
4. Ceu nebula nempe per auras  
Fugiens vanescit eundo;  
Sic & mea vita volante  
Periit velocior aurâ.  
Ceu fervidus ignis adurit  
Rapidæ nutrimina flammæ:  
Mihî sic dolor ossa comedit,  
Medias & in ossè medullas.  
5. Ceu gramina Sole perusta  
Nimio, mox languida marcent:  
Sic aruit & mihî corpus,

- Nutrimina cuncta recusans.
6. Coalescunt arida nempe  
Cum pellibus ossa gementi ,
7. Et solus oberro, cuculus  
Loca ceu volat avia lustrans.
8. Claram quoque sæpe perofus  
Fugio ceu noctua lucem ,  
Infomnis & exigo noctem  
Vigilacis passeris instar.
9. Accedit ad hæc mala sævus  
Inimicus, & imputat illa ,  
Et quos nimis improbus odit;  
Similes mihi reddier optat.
10. Mihi nunc cineres lacrumæque  
Cereremque & pocula fœdant ,
11. Dum me male sede locatum  
Humili Deus ejicit altâ,
12. Mea vita volatilis umbræ  
Evanuit instar, & ecce  
Ceu marcet inutile fœnum,  
Ita me vis deserit omnis.
13. At Tu, memorabile Numen,  
Per secula cuncta manebis,  
Dum nos subitanea cunctos  
Perimant, diversaque fata.
14. Saltim miserere Sionis,  
Miserere, en tempus, en, adstat:
15. Et jam pia turba tuorum  
Operi cupit addere dextras.
16. Sic Te, Venerabile Numen  
Populi, gentesque timebunt,
17. Cumulos & honoribus addet

Urbs alta renata Sionis.

18. Semper pia vota, precesque  
Deus æquis auribus hausit :
19. Memori quod codice signent  
Merito, repetantque nepotes.
20. Superâ nam sede repostus  
Terram Deus inspicit imam.
21. Miserisque adfistit, & audit  
Pueros, viduasque querentes.
22. Sic audiat ille Sionem  
Facilis, Solymanque precantem,
23. Quæ Regibus aucta propinquis  
Dominum rediviva vocabit.
24. Equidem mihi, dum voco supplex  
Vigor omnis deserit artus,  
Vitamque brevemque malamque  
Properata finio morte.
25. Dum mors tamen illa propinquat,  
Dominum prece flectere nitar.  
Ne me sine, Summe Creator,  
Mediâ succumberè vitâ.
26. Tu maxime nempe Creator,  
Terramque polumque novari  
Ceu pallia trita togasque
27. Voluisti veste recenti.  
Hinc interit omne quod extat  
Terraque, poloque creatum :
28. At Tu, Venerande Creator,  
Remanes, semperque manebis.
29. Tecum pia vota tuorum  
Natique, bonique nepotes,  
Mala post terrena renati  
In sæcula posthuma vivent.

## P S A L M U S CXXX.

*De profundis clamavi, &c.*

1. **C**Urarum animique dolorum  
Agitatus & obrutus æstu,
2. Voco : Tu clamantis ab imo  
Clemens Deus accipe vocem.
3. Si, quod modo deprecor unum,  
Stat crimina nostra notare :  
Quis erit, Deus optime, tecum  
Rigido qui iudice certet?
4. Tu vero misertus, inemptam  
Veniam largiris, & offers,  
Ut Te merito veneremur,  
Tua jussaque sancta colamus.
5. Stat spes mea fixa fidesque  
Domini tutissima verbis
6. Neque me cum sole relinquet,  
Media neque nocte recedet.
7. Maneat spes illa fidesque  
Populo, neque deseret illum
8. Dominus, sed certa manebit  
Nec vana redemptio justos.

## P S A L M U S CIII.

*Benedic anima mea Domino, &c.*

1. **L**Audet mens mea Numen universi,  
Et nomen Domini canat regentis.
  2. Lauda mens mea Numen universi,  
Et collata tibi memor recensens,
- Illius

Illius benefacta grata pande.

3. Clemens namque Deus tui misertus,  
Magnorum tibi criminum remisit  
Ingentem numerum, tuique morbi  
Non parvum tibi præstitit levamem:
4. Vitam à morte gravi, caputque tutum  
Divina tibi gratiâ coronat,
5. Largus munera tale nil merenti  
Indulgens, aquilæque dans juventam.
6. Hunc, o Mens, Dominum Deumque  
lauda.  
Infantes juvat æquus ille pressos,
7. Hic præcepta dedit ferenda Mofi  
Ne sanctissima jura quem laterent.
8. Hic lenis facilisque pœnitentes  
Exaudit meliora pollicentes,
9. Nec longa nimiave terret irâ.
10. Nec pœnas quoque debitas nocentum  
Metitur scelerum modo: sed astra
11. Quantum lucida celsiora terris  
Se tollunt, bonitas sacrata tantum  
Summi Numinis est super timentes.
12. Ergo crimina nostra sunt remota  
Quantum dissidet occidens ab ortu.
13. Ut natos juveniliter furentes  
Parvis suppliciis pater misertus  
Ætatis teneræ ferit, sed inde  
Placatus lacruma benignus una:  
Sic mundi dominus Deusque parcet  
Castigat petulantiam suorum,  
Ut rursus levet & juvet petentes.
14. Novit nempe luto misella ficta

- Olim corpora pulueris tenere  
 15. Primi reliquias, diesque nostros  
 Transire, & volucrem perire vitam  
 Nobisum, velut interire gramen  
 Siccum, flosque solet tenellus æstu  
 16. Læsus, vel Boreâ nimis rigendi,  
 Qui campo vacuum locum relinquit.  
 17. Verùm gratia Numinis supremi  
 Æternum manet, & fovet timentes,  
 18. Cultoresque Dei, pioſque natos  
 Illorum beat, & beat nepotes.  
 19. Cœli culmina celfus ille ſedem  
 Elegit Dominus ſibi, & potenti  
 Subiectum imperio gubernat orbem.  
 20. Huic ergo Domino Deoque mecum  
 Laudes Angelicæ parate turmæ;  
 Vos virtute ſua potentiâque  
 Adjutos Deus eminentiores  
 Nobis, ſed famulos tamen creavit,  
 Ut plene ſua juffâ colligentes  
 Noſtro nuncia perferatis orbi.  
 21. Huic & Vos Domino Deoque mecum  
 Laudes accumulate, queis beati  
 Tales nuncia perferunt miniſtri:  
 Et queis ſancta Dei patet voluntas,  
 Et queis magna Dei placet voluntas.  
 22. Hunc tandem Dominum Deumque me-  
 cum  
 Laudent omnia quæ creavit ipſe,  
 Latè qua patet orbis univerſus,  
 Laudet mens mea Numen univerſi.

F I N I S.

SYL.